BIBLIOTHECA AUGUSTANA,

COMPLECTENS

NOTITIAS VARIAS

DE VITA ET SCRIPTIS

ERUDITORUM,

QUOS

AVGVSTA VINDELICA

ORBI LITTERATO

VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congeſſit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH

Auguſtanus, Bibliopola.

Alphabetum IV.



AUGUSTÆ VINDELICÆ.

SUMPTIBUS AUCTORIS,

MDCCLXXXVIII.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Vides, Lector benevole! Aphabetum IVtum *Bibliothecæ Auguſtanæ*, idque commemorandis Epiſcoporum *Auguſtenſium* laudibus deſtinatum. Horum venerabili e numero quos *peculiari Paragrapho* laudandos ſuſcepi, ſunt S. ADALBERO; *Joannes Egolphus de* KNOERINGEN; *Petrus a* SCHAUMBURG, qui *cardinalitiam* quoque dignitatem tenuit; *Chriſtophorus a* STADION; S. SYMPERTUS; *Otho* TRUCHSESSIUS *de Waldburg*; qui itidem *cardinalitio* honore refulſit; S. UDALRICUS. Et horum quidem merita etſi fuſius perſcribam, tamen monitum te velim, Lector! me non omnia eorum facinora, ſed præſtantiora duntaxat, afferre: ita tamen ut addere non omittam, quibus a Scriptoribus reliqua perdiſci queant.

Præter mox memoratos *ſeptem* Præſules, ſunt alii quoque *novem*, quorum mentionem *brevi Nota* facio; non quod multa præclare non geſſerint, ſed quod brevitatem ſtudioſe ſectarer.

Habuit equidem *Eccleſia Auguſtana* a prima origine Præſules complures non virtutum minus, quam doctrinæ, dum viverent, laude florentiſſimos. Verum quod litteraria eorum documenta nulla (*a*) repperire potuerim,

(*a*) Advertas velim, Lector! me *Scripta publica*, a Præſulibus *Auguſtanis* edita, parum morari; niſi iidem

rim, ab his laudandis abſtinendum mihi: eos vero, de quibus ſupra dixi, debito encomio prolixius ſuccinctiusve, ut res dabat & brevitatis ſtudium dictabat, proſequendos eſſe putavi.

Reſtant duo alii: *S.* WICTERPUS (*b*) aliis *Victerpus*, vel etiam *Picterpus*, cui utrum locus

dem quoque aut *Statuta ſynodalia*, aut alia ad doctrinæ laudem propius attinentia reliquerint. De reliquo *Scripta* illa *publica* ex ordine annorum connotata habes in *Petri* GEORGISCH *Regeſtis diplomaticis*.

(*b*) De Rebus a *S.* WICTERPO geſtis videri poterunt *Carol.* STENGELIUS in *Vita S. Wicterpi*, item in *Commentario Rer. Auguſtan.* KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. Acta SS.* BOLLANDIANA, *Tom.II. Aprilis*, *p.* 547. *ſeqq.* RADERUS in *Bavaria ſancta*, BRUSCHIUS in *Epiſcop. German.* MABILLONIUS in *Annal. Ord. S.Bened. Tom.II.* aliique. Ego ad id, ob quod hæc *S.* WICTERPI mentio injecta eſt, convertor.

Scribit *Carolus* STENGELIUS in *Vita S. Wicterpi*, in *Præfatione*: „ Conſideratione dignum judico, „ num forte illud, quod *Aventinus L. III. Annal.* „ *Boior.* ſequentibus verbis tradit, parum ad Noſtrum faciat; Sic enim ait: In cænobio S.Haimerami ſervatur libellus, in quo epiſcopus hortatur „ amicum ad pietatem; ad umbilicum hæc verba „ adſcripta ſunt: *Scripſi ego ipſe* VHICTERPUS, *quanquam peccator, epiſcopus jam ſenex, puto nonagenarius, aut ſupra, dolentibus membris, & caligantibus oculis hoc, non quaſi potens, ſed pro ſtudio charitatis, quam circa te habeo; quia volebam, dum ſæculi dignitatem regis, vitam æternam nunquam per-* „ *das.*

locus inter *Scriptores Auguſtanos* dandus ſit, adhuc in incerto eſt: & *Joannes* SCHAD-LANDI-

„ *das. Pax tibi & vita a Domino augeatur. Amen,*
„ *& fiat, fiat! Tertio anno regnante Pippino filio Ca-*
„ *roli, rege Francorum, in menſe Junio, in diebus de-*
„ *cem ſcripſi hunc libellum, hoc eſt anno DCCLIV.*
„ *a Nativitate Chriſti*, 7. *Indict.* Niſi ratio annorum
„ obſtaret, plane in hac eſſem ſententia, hæc ad no-
„ ſtrum WICTERPUM pertinere; cum enim hunc *Re-*
„ *ginoburgenſem* epiſcopum (*Aventinus*) faciat: il-
„ lud vero ex Catalogo illius Eccleſiæ probari non
„ poſſit, crederem, pro *Reginoburgenſi*, *Neoburgen-*
„ *ſem* legendum, & *Pippinum* filium *Carolomanni*,
„ Ducem *Brabantiæ*, intelligendum, qui ſub *Dago-*
„ *berto* præfectus erat prætorio. In annis vero faci-
„ lis potuit eſſe lapſus, & menda aliqua irrepere,
„ præſertim cum *Aventinus* ibidem referat, eum Li-
„ bellum adeo vetuſtis litterarum notis ſcriptum
„ eſſe in membranis, ut ſibi de integro in litterari-
„ um piſtrinum redeundum,& elementorum figuræ
„ condiſcendæ fuerint." Idem repetit *Carol.* STENGELIUS in *Commentario Rerum Auguſtan. pag.* 67. monens: „ Noſter vero Præſul ſcripſiſſe videtur Li-
„ bellum, qui *Ratisbonæ* in cænobio *S. Emmerami*
„ aſſervatur; in quo epiſcopus hortatur amicum ad
„ pietatem &c."

Duplici hoc STENGELII eſſato, ipſoque Antiquitatis omni ſemper veneratione digniſſimæ ſtudio, tum etiam veritatis eruendæ deſiderio animatus ante plurá luſtra per litteras Virum quendam cænobii *San-Emerammenſis* doctiſſimum, quem Deus ei Aſceterio, Eccleſiæ ſanctæ, & Imperio in ſeros conſervet annos, adivi obſecrans: ut memoratum Codicem

LANDIUS (*c*), qui non niſi breviſſimo triennii ſpatio *Sedem Auguſtanam* tenuit, inde alio translatus. Quare ambos inferius paucis abſolvendos duxi.

Reliquum eſt, benigne Lector! ut te labores meos æqui bonique conſulere, rogem: & valere quam maxime, optem. Scribebam Auguſtæ Vindelicorum, Kalendis Martii, M.DCC.LXXXVIII.

cem accuratius inſpiceret, deque vero Auctore Libri ſuam benigne ſententiam exponeret. Reſcripſit ille gemens: „ Codicem e monaſterio ſubtractum, & „ ubivis locorum hactenus fruſtra fuiſſe quæſitum: „ falli, ſua quidem opinione, STENGELIUM, alioquin de Hiſtoria optime meritum, dum Auctorem Libelli illius *Wicterpum* Epiſcopum *Auguſtanum* fuiſſe crederet: ſibi multo verius videri, partum hunc eſſe alterius *Wicterpi*, quem accuratiores Hiſtorici primum *Ratiſponenſem* Epiſcopum „ ſtatuunt. " Hanc ſuam ſententiam gravibus argumentis Vir idem doctiſſimus in *Epiſtola* mihi ſcripta munivit. Ego judicium ſuſpendo, ſatis habens, iſta attigiſſe.

(*c*) Hic *Ordinis Prædicatorum* alumnus, SS. Theologiæ Doctor, in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus, plurium librorum Auctor &c. a ſummo Pontifice Epiſcopus *Auguſtanus* conſtitutus, poſt triennium epiſcopatu, quem anno 1369. adierat, anno 1372. aliis 1373. ceſſit. V. STENGELII *Commentarium Rer. Auguſt.* KHAMMII *Hierarchiam Auguſtanam, P. I. cathedr.* & præcipue ECHARDI & QUETIFII *Scriptores Ord. PP. T. I.* ubi plurima de *Noſtro* reperire eſt.

Nomi-

Nomina eorum,

Qui hoc *Alphabeto IV.* continentur.

Obſerva, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majuſculis: eos vero, qui duntaxat in tranſitu, & per modum brevis *Notæ* memorantur, litteris minuſculis exprimi.

	Pag.
S. ADALBERO (Epiſcopus) - -	1
Adilbertus, cænobii *San - Udalricani Prior*, ſæculo XIII. - - -	70
Agricola (Stephanus) *junior.* -	197
Aitinger (Wolfgangus) *Presbyter* ſæculo XV. - - -	145
Altenſteig (Joannes) *SS. Theolog. Doctor.*	151
Avunculus (Marcus) *Doctor & Concionator cathedralis.* - -	168
Baumgaertner (Hermannus) *Fiſcalis epiſcopalis.* - - -	202
Berg (Marquardus *a*) *Epiſcopus* -	28
Brunus (Conradus) *J. V. Doctor*, *Canon. cathedral.* - - -	176
Cholerus (Joannes) *J. V. Doctor, Præpoſitus Curienſis.* - -	163
Diſtelmayr (Cleophas) *Magiſter Artium & Theologus.* - - -	204
Ellerbach (Burckardus *ab*) *Epiſcopus.*	24
Gebehardus Comes *de Ammerthal, Epiſcopus.*	209
Gemmingen (Joann. Otho *de*) *Epiſcopus.*	29
Gemmingen (Julius Henr. *de*) *Canonicus cathedralis.* - - -	30
Gerardus vel *Kerardus* ſæculo X. -	208
Holthuſius (Joannes) *Kempenſis.* -	199
Khellnerus (Guilielmus) *a Zinnendorf*, Pater, *J. V. Doctor.* - -	171
Khellnerus (Guilielmus) *a Zinnendorf*, Filius. - - -	171

Klein-

Pag.

Kleindienſt (Bartholomæus) *Ordinis Prædicatorum.* - - - 193
KNOERINGEN (Joann. Egolphus *de*) *Epiſcopus.* - - - 9
Knöringen (Henricus *de*) *Epiſcopus.* 30
Kretz (Matthias) *Doctor & Concionator cathedralis.* - - - 167
Lichtenau (Henricus *a*) *Epiſcopus.* 27
Mader, ſive *Foeniſeca* (Joannes) *Philoſophus.* - - - 147
Pflanzmann (Jodocus) *Advocatus Conſiſtorii* ſæculo XV. - - 144
Rehmus (Wolfgangus) *J. V. Doctor*, Pater. 172
Rehmus (Wolfgang. Andreas) *J. V. Doctor*, *Præpoſitus cathedralis Auguſtanus*, Filius. 172
Schadlandius (Joannes) *Epiſcopus.* Vide *in Præfatione.*
SCHAUMBURG (Petrus *a*) *Epiſcopus & Cardinalis S. R. E.* - - 18
Schencking (Joannes) *Canonicus cathedralis.* 201
Speth (Fridericus) *de Turnegg*, *Epiſcopus.* 24
STADION (Chriſtophorus *a*) *Epiſcopus.* 52
S. SYMPERTUS *Epiſcopus.* - 69
TRUCHSESSIUS (Otho) *de Waldburg*, *Epiſcopus & Cardinalis S.R.E.* - 83
S. UDALRICUS *Epiſcopus.* - 208
Werdenberg (Joannes *de*) *Epiſcopus.* 25
Werdenſtein (Joann. Georg. *a*) *Canonicus cathedralis.* - - - 207
S. Wicterpus Epiſcopus. Vide *in Præfatione.*
Zollern (Fridericus *a*) *Epiſcopus.* - 26

S. ADAL-

Pag. 21. *lin.* 25. & *Pag.* 38. *lin.* 31. & *Pag.* 39. *lin. ult.* lege ſemper *Karolum VII.*
Pag. 95. *lin.* 8. pro: *anno priore fatis functo*, lege: *anno demum* 1558. *fatis functo.*

S. ADALBERO.

S. ADALBERO, vel (ut nomen ejus a variis varie eſſertur) *Adalpero* & *Adalpertus*, item *Albertus*, *Adelberus* illuſtre genus ex Comitibus *Wittislingæ*, *Dillingæ* & *Kyburgi*, nec non Baronibus de *Vahingen* & *Anhalm* traxit (*a*). Impenſiore cura, ne quid ornamenti puero deeſſet, quod clariſſimis natalibus deberi videbatur, educatus, poſtquam ætate crevit, etſi ſpes ei ampliſſimas concipere liceret, ipſe mundum mundanaque faſtidiens, inſtitutum *S. Benedicti* in *Elvacenſi* cænobio eſt amplexus. In eo vitæ ſtatu miris confeſtim virtutibus enitere cœpit, adeo ut, *Hattone* abbate ad archiepiſcopalem Sedem *Moguntinam* translato, præ aliis dignus fuerit judicatus, cui *Elvacenſis* cænobii gubernacula crederentur (*b*). Creſcente autem indies virtutum & doctrinæ *Noſtri* fama, ſucceſſu temporis etiam ad epiſcopatum *Auguſtanum*, *concordi electione* (*c*) *Cleri*, promotus eam Eccleſiam, inter medias Hungarorum ſævientium devaſtationes longioris temporis ſpatio laudabiliſſime rexit. (*d*).

(*a*) Ita teſtatur *Corb.* KHAMM in *Hierarch. Auguſt. P.I. cath. p.* 120. & alii. *Ach. Pirm.* GASSARUS in *Annal. Augſb.* inter MENCKENII *Script. T. I. p.* 1374. addit: *Alii Baronem a Branderburgo, quod juxta Byberachum eſt, faciunt.*

(*b*) Vide mox citatum KHAMMIUM, STENGELIUM in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 89. GASSARUM, aliosque.

(*c*) GASSARUS *l. c.*

(*d*) GASSARUS, STENGELIUS, KHAMMIUS, & alii.

Apud *Arnulphum* imperatorem maxima gratia atque auctoritate valuit *Sanctus* noſter. Ob eam rem idem Cæſar *Laurishaimenſe* Aſceterium, cujus incolæ *de quibusdam inſolentiis coram ſummo tribunali accuſati, & propter eas ab electione Abbatis ſuſpenſi* fuerant, anno circiter 890. gubernandum reformandumque *Noſtro* concredidit; quod ille poſt aliquot annorum ſpatium, Religionis vigore reſtituto, dimittens *Fratribus* non ſolum *priſtinam eligendi Abbatis libertatem imperiali auctoritate redintegravit*, ſed etiam ipſum monaſterium inſigni Donatione adauxit (*e*). Mox memoratus *Arnulphus*, quantum honoris *Adalberoni* haberet, anno Chriſti 895. novo rurſus argumento oſtendit; dum *Romam* proficiſcens *Noſtrum* itineris ſocium adſcivit, & *ob venerabilem petitionem* ejus (*dilecti, fideliſſimi Adalpero*, ut Diploma habet) monaſterii *S. Mariæ Theodotæ*, cui tum *Ribſinda* abbatiſſa præerat, privilegia confirmavit (*f*).

Arnulpho ſucceſſit *Ludovicus* filius. Is quoque ADALBERONI noſtro, a quo non ſolum *Ratisbonæ* luſtrali fonte ablutus ſacroque Chriſmate ſignatus, ſed etiam litteris ac probis & Principe dignis moribus inſtitutus fuerat, patris veſtigia fido pede ſequens, ſummam gratiam reverentiamque impendit. Hac commotus *Sanctum* noſtrum *fidelem & intentiſſimum nutritorem* (*g*): *Magiſtrum & Patrem ſpiritualem* (*h*) appellare non dubitavit. Hac commotus,

(*e*) V. STENGELIUM *l. c.* & *Codicem Laurishaimenſem. T. I.*

(*f*) V. *Acta Sanctorum*, BOLLANDI, *Tom. IV. Octobris. p.* 1046. *& ſeq.*

(*g*) V. *Stengelium l. c.*

(*h*) V. *Chronicum Laurishaimenſe* inter FREHERI *Scriptores*, *T. I. p.* 118.

motus, petente, interveniente *Sancto* noſtro, idem *Ludovicus* monaſterio *S. Floriani*, Eccleſiis *Ratisbonenſi*, *Friſingenſi*, *Sabionenſi*, inſignes gratias conferre dignatus eſt (*i*): monaſterio *S. Floriani* civitatem *Enns* (Aniſum) *propter damna a Paganis* (Ungaris) *illata* concedens: *Tutoni*, epiſcopo *Ratisbonenſi* villam *Theorinhovam* donans: *Waldoni* epiſcopo Friſingenſi vetuſtum Privilegium, quod cum ædibus epiſcopalibus vorax flamma conſumpſerat, renovans: *Sabionenſem* denique aut (ſi præplacet *Brixinenſem*) eccleſiam in ſuam tutelam recipiens; atque hæc omnia adlaborante ſancto noſtro ADALBERONE. Hactenus de favore duorum Imperatorum, quo fruitus eſt *Noſter*, ampliſſimo narrata ſufficiant.

Fuit *Noſter* vitæ monaſticæ, & qui eandem colebant, amantiſſimus: cujus rei documentum certiſſimum præbet duplex peregrinatio, qua monaſterium & ſepulchrum *S. Galli* in *Helvetia* honoravit; prima quidem anno 907. altera vero anno mox ſequenti (908.) comitante *Meginberto* Eccleſiæ *Sabionenſis* antiſtite, ſuſcepta: in qua tanta loci reverentia commotus fuit, ut illum amplis muneribus ſibi locupletandum duxerit (*k*). Neque vero ſola loci religio ſed & monachorum ibi degentium (Licet mihi nominare *Notkerum*, *Ratpertum*, *Tutilonem* &c.) doctrina atque eruditio mentem ſancti epiſcopi mirifice affecit, adeo ut redux, ab amicis ſciſcitatus: *utrum apud eos monachos religio eſſet cum doctrina, uti fama vulgarat?* egregium Fratribus doctrinæ teſtimonium perhibuerit; quos

A 2 proin

(*i*) V. *Acta SS.* BOLLANDI, *l. c.*

(*k*) V. STENGELIUM & *Acta* BOLLANDI, *ll. cc.*

proin doctiſſimos, ut ipſe doctiſſimus extitit, multo amore complexus eſt (*l*).

Incidit in *Noſtri* tempora Synodus *Triburienſis*, anno 895. *ad reſecandum omnem palmitem inutilem, ad extirpandam cujuslibet hæreſios radicem, ad tollendam ſchiſmatis occaſionem, ad corrigenda Clericorum vitia, ad præcavenda populorum ſcandala: breviter, ad reformandos mores & ſtatus non modo Clericorum, ſed & Laicorum* ſub *Arnulpho* imperatore convocata. Huic tum interfuit *Noſter*, tum ſalubriter in ea ſancitis ſubſcripſit (*m*). Synodo quoque *Altheimenſi* anno 916. celebratæ adtitiſſe *Adalberonem* monuit, ſi modo recte, *Ach. Pirminius* GASSARUS, & qui hunc ſequutus eſt, *Paul.* A STETTEN (*n*). Præterea verbum Dei diœceſanorum mentibus inſculpere: importune, opportune, ad Apoſtoli præſcriptum, inſtare: ſibi ſubditos informare ac reformare: chriſtianam pietatem quam latiſſime propagare: plurimas Eccleſias, præſertim poſt *Hungarorum*, ab anno 901. editas, devaſtationes ædificare, reparare, ornare: ſedem denique epiſcopalem totamque diœceſim ſanctitatis & prædicationis gloria illuſtrare omni cura allaboravit.

Neque vero in eccleſiaſticis tantum, ut vidimus; ſed etiam in publicis Imperii negotiis partem permagnam habuit ſanctus Epiſcopus, adeo ut teſte Anonymo, *vitæ S. Udalrici* Scriptore, *gubernacula regni pæne omnia cum rege* (puta *Ludovico*) *diſpone-*

(*l*) V. *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Bened. T. I. p.* 204.

(*m*) V. LABBAEI & COSSARTII *Collect. max. Concil. Venetus.* 1733. *T. XI. p.* 617.

(*n*) GASSARUS, *l. c. p.* 1375. STETTEN in *Hiſtorie von Augſpurg, T. I. p.* 44.

poneret (*). Hinc, ut *variis incumbentibus negotiis*, *peregrinationibusque* vacare eo melius poſſet, ſucceſſorem ſibi haud indignum, *Hiltinum* nomine, virum eximia virtute præditum legit, uti GASSARUS docet.

Sic quamplurimis in *Eccleſiæ* & *Imperii* emolumentum præclare geſtis, ſancte, ut vixerat, obdormivit in Domino, humatus in templo *S. Afræ*, *Auguſtæ*; ubi ſacræ ejus exuviæ, effoſſæ poſtea, ſæpiusque translatæ, tandem in novo ſacrario repoſitæ, hodiedum ſpectantium oculis proſtant (**).

Quo anno epiſcopatum adiverit *S.* ADALBERO, quamdiu illum tenuerit, quo maxime anno e vivis deceſſerit, omnia in incerto ſunt, Hiſtoricis ſuper his mire variantibus; cum ſeries primorum *Auguſtæ* Antiſtitum, ſatis pro dignitate rei, a nemine hucusque accurate explicata, debitoque diſpoſita ordine fuerit: quod ipſum ut a Viro quodam erudito, cui ſimul Archivorum, cathedralis præſertim Eccleſiæ *Auguſtanæ*, adeundorum expedita facultas ſit, quamprimum ut fiat, una mecum Eruditi plurimum optant. Nullus dubito, quin tum huic, tum aliis rebus multum lucis affuſura eſſet *Vita Noſtri*, quam ab *Udalſcalco* Abbate *San-Udalricano*, *Auguſtæ*, ſcriptam fuiſſe, præſentis *Bibliothecæ* meæ *Alphabeto I. p.* 206. monere me memini; ſin minus illa aut Bibliothecarum ſcriniis recondita lateret, aut fors temporum curſu omnino interiiſſet:

(*) V. *Vitam S. Udalrici*, inter MABILLONII *Acta SS. Ord. S. Bened. T. VII. p.* 419. *Edit. Venetæ.* Confer *Stengelium l. c. p.* 91.

(**) Horum curioſus Lector conſulat KHAMMIUM in *Hierarch. eccleſ. Auguſt. P. I. p.* 86. *ſeqq.*

riiſſet : quod *magno Hiſtoriæ Auguſtanæ detrimento* factum eſſe , doluerunt *PP. Bollandiſtæ.*

Hæc de circumſtantiis vitæ *S.* ADALBERONIS — Jam de illius ſanctitate , doctrina, peritiaque muſicæ artis ; quas dotes in *Noſtro* prædicant Hiſtoriographi , quotquot de illo meminerunt, omnes. Horum aliquos excerpere placet. In *Chronico Lauriſheimenſi* (o) *S.* ADALBERO , *vir magnæ in Chriſto gravitatis & reverentiæ* nuncupatur. Scriptor *Vitæ S. Udalrici* (p) eum *multa tunc temporis ſapientia repletum* , *muſicaque arte præ ceteris præditum* fuiſſe teſtatur. *Sigismundus* MAYSTERLINUS (q) inter alia de *Noſtro* ait : *Fuit in muſica arte perfectiſſimus* , *magnaque ejus fama diffuſa eſt per totam Germaniam &c.* Rurſus : *Vir totius ſanctitatis* , *muſices peritus* , *imperatoribus gratus* , *pro Eccleſia Dei multis ſe laboribus expoſuit*, *in Conciliis provincialibus laborans.* Et iterum : *Adalbero ſucceſſit* , *nedum (ut ſuus anteceſſor) doctus ſcientia* , *ſed & peritus praxi. Dum Galliæ fines ego exul tererem* , *de ſuis præclaris virtutibus indicia manifeſta Codicibus in antiquis reperi* : *Imperatorumque Secretarium* , *Auricularemque* (*) *conſtat fuiſſe. Fuit enim vir* , *ut diximus* , *inprimis doctus* ; *nam muſices peritiſſimus* , *quam artem jam dudum Carolus M. e Roma deductis Magiſtris per Germaniam & Galliam reformaverat* , *ululatibus barbaricis propulſis* , *quibus hactenus inturbaverant* , *quorum* ,

(o) Inter FREHERI *Scriptor. T. I. p.* 115.

(p) V. MABILLONII *Acta SS. Ord. S. Bened. l. c.*

(q) In *Chronograph. Auguſtenſ. MSSto. P. IV. c.* 7. & in *Indice Monaſterii SS. Udalrici & Afræ* , *MSto. P. II. cap.* 6. & in *Chronico Auguſt. eccleſiaſt.* apud PISTORIUM , *T. III. p.* 608.

(*) Secretorum omnium conſcium, intimum Conſiliarium interpretatur *Du* FRESNIUS in *Gloſſario Latinitatis.*

rum, proh dolor! in locis etiam inſignibus ſtultorum, in Feſtis, hodie turpiſonat vox. Is præſul Adalbero datus rector dictis ac ſcriptis regulas impoſuit. Fuit denique tantæ largitatis, ut longe munificentia ſua Religioſos foveret, præſertim in loco S. Galli, ubi eximii, ſacræque theologiæ Profeſſores clareſcebant, tropos, proſas, diverſoque metro hymnos conficientes: ubi & venerabilis Bedæ, Alcwini, qui & Albinus, Strabonis, Notkeri, Hermanni Contracti, aliorum quoque reperiuntur veſtigia; quibus fautor præclarus extitit hic noſter Adalbero. Hieronymus HENNINGES (r) *Virum eximie doctum & Muſicum inſignem* appellat. *Ach. Pirm.* GASSARUS (*) alioquin Catholicis infenſiſſimus, *S.* ADALBERONEM *docte & virtuoſe in pontificatu apud nos* (Auguſtanos) *vixiſſe*, teſtari non omiſit. *Wilhelm.* EISENGREIN in *Catalogo Teſtium Veritatis.* 1565. *Dillingæ*, excuſo hoc *Noſtrum* encomio ornat: *Imperatoris Ludovici III. ... Præceptor, Antiſtes ſanctiſſimus, in lege Dei exercitatiſſimus, Orator facundus, Poëta nemini ſecundus, Muſicus abſolutiſſimus, atque Theologorum ſuæ ætatis princeps.* STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 88. teſtatur: *Noſtri ope effictis patriæ rebus conſultum, atque multa eruditione Fidelium ſaluti proſpectum fuiſſe. Henr.* PANTALEO in *Proſopograph. T. II. p.* 40. ſequenti encomio *Noſtrum* honorat: *S. Adelberus epiſcopus pietatis & litterarum amore in monaſterium Elwangen ingreſſus eſt, ibi tanta diligentia præceptores audivit, & prælecta repetiit, ut brevi ſuos æquales eruditione omnes ſuperarit. Erat enim ſingulari prudentia & in rebus agendis mira dexteritate præditus. Itaque ... epiſcopus ſactus eam Eccleſi-*

A 4

(r) In *Opere genealog. P. I. p.* 295.

(*) V. MENCKENII *Script. T. I. p.* 1374.

ecleſiam optime gubernavit, atque nihil, quod boni paſtoris erat, intermiſit... Amabat viros doctiſſimos plurimum &c. Prætereo Scriptores alios complures, ne longior ſim. Maximam autem laudum S. ADALBERONIS partem facit *S.* UDALRICUS epiſcopus itidem *Auguſtanus*, qui *dominio* (*s*) illius *ſubditus*, illiusque inſtitutionibus ad omnem pietatis culturam formatus, eam deinceps nominis, qua tum vivus claruit, tum in hanc usque diem toto orbe chriſtiano claret, celebritatem feliciter conſecutus eſt.

Litteraria monumenta *S.* ADALBERONIS ſunt ſequentia:

I. *Charta* ſeu *Inſtrumentum Donationis, cœnobio Laureshaimenſi factæ*, quæ extat in *Codice Laurishaimenſi, Tom. I.* &, ex hoc deſumpta, in *Actis Sanctorum*, BOLLANDI, *T. IV. Octobris. p.* 1051.

II. *Dialogus de Vita & Miraculis S. Hariolphi vel Herinlphi Epiſcopi Lingonienſis, Abbatis Elvacenſis*; de quo mox memoratus EISENGREINIUS, VOSSIUS (*t*), *Joann. Albert.* FABRICIUS (*u*) teſtantur: & ob quem alius (videlicet *Joann. Andreas*) FABRICIUS (*x*) *S.* ADALBERONEM inter ſæculi ſui *Hiſtoricos* merito jure annumeravit. Interim hoc Opus nullibi typis excuſum repperire potui.

Confer de *Noſtro*, ſi lubet, MABILLONII *Annales Ord. S. Bened. Tom. III.* & BRUSCHIUM *de Epiſcopat. German.*

KNOE-

(*s*) V. MABILLONII *Acta*, *l. c.*

(*t*) In Libro *de Hiſtoricis latinis.*

(*u*) In *Bibliotb. med. & inf. Latinit. T. I. p. 6. Edit. Manſianæ.*

(*x*) In Libro: *Abriß einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit. P. II. p.* 740.

KNOERINGEN (*Jo. Egolphus de*) Epiſc. Auguſt.

Jo. Egolphus, tum nobiliſſima tum pervetuſta *de* KNOERINGEN, *Sueviæ* pago, familia cretus, cum adoleviſſet, in Academia *Ingolſtadienſi* (a), quæ

(a) Quibus inibi Magiſtris *Noſter* profecerit, & quam ſplendida tum fuerit dictæ Academiæ facies, ſequentibus docuit *Adamus* WEISHAUPT in *Oratione panegyrica anno* 1768. *edita. pag.* 6. qua *Noſtri* laudes in templo Academico, pro more annuo, fuerat proſecutus. *Erat ſub id tempus Facultas ſacra (uti etiam temporum illorum ratio poſtulabat) quot Doctorum, tot quaſi Deorum feraciſſima. Balthaſar* FANNEMANUS *ex Ordine Prædicatorum Epiſcopus Miſſenſis, & Suffraganeus Hildeshemienſis pro Deo & Fide patriæ exul: Georgius* THEANDER *Aubiganus Bojus, uno poſtea anno Rector, Vicecancellarius, Anteceſſor & Parochus: Michael* WAGNERUS *Rœthus pro fide orthodoxa contra vicinam adeo & in ipſa pæne Bavaria domeſticam Lutheri hæreſin e cathedra argumentorum invictiſſimorum robore ac vi fortiſſime deprœliabantur. His veluti in auxilium dati, non quod illi ſoli ſibi non ſufficerent, ſed quod vis conjuncta fortior eſſet, venerant ex Belgio a SSmo. Duce Alberto huc ad nos evocati invictiſſimi Chriſti Athletæ, Patres e Societate Jeſu, Alphonſus* SALMERON *Hiſpanus, Bibliorum Interpres, & Eccleſiæ in Concilio Tridenti congregatæ communis admiratio; Petrus* CANISIUS *vel ſola nominis ſui recordatione & hæreſi e terris Bavaris feliciter pulſa omnino ſummus; Nicolaus* GAUDANUS, *& Joannes* CUWILLONIUS *Inſulenſis Flander. In Legum interpretatione verſabant Franciſcus* ZOHANNETTUS *Patricius Bononienſis & in alma quondam Bononienſi Ordinarius; Bartholomæus* ROMULEUS *Nobilis Florentinus; Wolffgangus* HUNGERUS, *& Nicolaus* EVERHARDUS. *Ex Facultate ſaluberrima unum Joannem* AGRICOLAM *Hammonium nominaſſe ſufficiat, virum omnino* Θαυμαστον *& plurimis elucubrationibus inſignem. Fallor; aut Philoſophiæ, artiumque liberalium, cum his omnibus, ſuper nominis fama acerrima quædam concertatio extitit? Date mihi hominem, litterariæ hiſtoriæ adeo rudem, qui litteratorem illum & criticum ſummum Vitum* AMERBACHIUM

per id temporis optimis, maximæque famæ Doctoribus florebat, circa annum 1550. fervente adhuc juvenilis ætatis ſanguine, operam litteris dedit. Inde *Friburgum Briſgojæ* circiter anno 1560. profectus cum *Henr. Lorito* GLAREANO (*) *Jo.* HARTUNGO(**) *Caſpare* STIBLINO(***) & *Conrado* DINNERO, Viris tum græce tum latine doctiſſimis frequenter & quam familiariſſime vixit. Ibi Bibliothecam GLAREANI, vel ſolo *Glareani* nomine nobiliſſimam, ſolutis eidem aliquot centum florenis ſuam fecit, hac tamen lege, ut uſus fructus apud GLAREANUM, quoad viveret, remaneret (*b*).

Cum ad eccleſiaſticam, ad quam ſe a Deo vocatum eſſe eſt arbitratus, Rempublicam tranſiiſſet, illico ſacris augeri dignitatibus cæpit. Sic Canonicus *Herbipolenſis* & *Scholaſticus*: ſic anno 1547. Canonicus *Friſingenſis*: anno 1548. Canonicus, annoque 1552. ſummus etiam Cuſtos *Auguſtanus*: anno 1553. Canonicus *Elvacenſis* conſtitutus eſt (*c*); adeo

CHIUM *Wembdingenſem nequidem nominis compellatione cognoverit. Parum ille ſciverit, qui Petrum* APIANUM *ignoret, quorum hic in Mathematicis, ille in Ariſtotele interpretando ſub id tempus verſabantur; inſuper Joannes* BORICHIUS *Græcam, Paulus* AEMILIUS *Romanus Judæus linguam hebraicam, Joannes* PEDIONAEUS *Oratoriam atque Poëticam profitebantur.*

(*) Quam bene de litteris meritus fuerit *Glareanus*, cognoſci poterit ex *Adamo*, *Teiſſierio*, *Voſſio*, *Hankeo*, & *Pope - Blountio.*

(**) *Hartungi* laudes habes apud *Adamum*, *Freherum*, *Pantaleonem.*

(***) De *Stiblino* vide *Jöchern Gelehrten - Lexicon.*

(*b*) Ita teſtatur *Valent.* ROTMARUS in *Annalib. Academiæ Ingolſtadienſis*, a *J. N.* MEDERER editis, *T.II. p.* 19. *& ſeqq.*

(*c*) Vide laudatum ROTMARUM, *l. c.* cujus ipſiſſima verba multoties in hac narratione excerpere placuit, & KHAMMIUM in *Hierarch. Auguſt. P. I. cath. p.* 620.

adeo ut cum ætatis augmento, dignitatum: & cum dignitatibus, redituum acceſſiones fierent.

Exterarum quoque nationum viſendarum, præcipue Italiæ inſpiciendæ ſingulari flagrans deſiderio, primo totam pene Italiam usque in Urbem perluſtravit. *Romæ* autem non in Cardinalium tantum colloquium & amicitiam ultro admiſſus (*d*) ſed etiam (quod primas felicitatis partes obtinet) a ſummo Pontifice clementiſſime exceptus, & *Comitis Palatini Lateranenſis* dignitate exornatus fuit.

Viſitata *Italia*, cæſaream quoque aulam inviſit, in qua nemo ex Proceribus aulicis tanto vel nominis, vel auctoritatis, vel generis ſplendore fuit, quin de KNOERINGIO præclare ſentiret, ejus amicitiam ſibi exoptaret, contractamque ſancte coleret. Atque, ut paucis multa comprehendam, eam exiſtimationem nominisque celebritatem ſibi peperit *Noſter*, tot ſibi amicos conjunxit, ut poſteris temporibus ædes ejus raro præclaris hoſpitibus carerent; & Pontificis exemplum imitatus Cæſar in eum *Comitis Palatini* honorem, aliasque immunitates contulerit.

Quin & *inferiorem Germaniam* ipſumque *Belgium* viſendi ſtudio percurrit; donec tandem libris, dignitatibus, contractis Virorum aut ſpectatiſſimorum aut eruditione clariſſimorum amicitiis dives, modo peregrinationibus poſito, ad res domeſticas rediit, ut ſe totum ad Eccleſiam Dei juvandam, Religionem conſervandam propagandamque, & bona ſtudia promovenda conferret.

Hæc inter accidit, ut *Otho* TRUCHSESSIUS *de Waldpurg*, de quo inferius agam, S.R.E. Cardinalis

(*d*) *Card.* HOSII, aliorumque ex urbe *Roma* datas ad *Noſtrum* litteras, amicitiæ mutuæ pignora, vidiſſe ſe coramque inſpexiſſe, monet ROTMARUS *l. c.*

lis & Epiſcopus *Auguſtanus*, *Romæ* anno 1573. e vivis decederet. Qua re, ut Eccleſiæ *Auguſtanæ*, Capite ſuo orbatæ, de novo præſule proſpiceretur, dies 18. Maji memorati anni ad novi Epiſcopi electionem faciendam conſtituitur. Mirum eſt dicere, quantus & illo, & multo ante tempore omnium pene Canonicorum, multorumque & quidem præcipuorum Germaniæ Principum ad eligendum KNOERINGIUM conſenſus fuerit, quaſi ad ejus dignitatem non defendendam tantum, ſed etiam amplificandam conſpiraſſent. Aderat *Breve apoſtolicum*, quo *Noſtrum* ſummus Pontifex *Gregorius XIII.* Collegio Canonicorum commendabat, & dignum epiſcopatu declarabat. Aderant interceſſiones imperatoriæ *Maximiliani II.* Aderant & aliorum Principum Catholicorum, nominatim Archiducis *Ferdinandi*, ac Ducum *Bavariæ*, atque etiam Acatholici cujusdam tum litteræ commendatitiæ, tum etiam Oratores; propterea quod *Noſtrum*, ut inter omnes digniſſimum, quam maxime ad epiſcopalem dignitatem evectum cuperent.

Itaque anno & die memoratis, communi omnium Canonicorum ſuffragio, in magno hominum concurſu & exſpectatione Epiſcopus *Auguſtanus* eligitur, & ſupra ſummum ejus templi altare collocatus congratulabunde ſalutatur, plaudentibus ſpectatoribus, ſubditis ac clericis univerſis. Mox etiam, fama electionis per orbem divulgata, ex alienis oris tum privatæ, tum publicæ Principum, Cardinaliumque advolant gratulationes; quod nemo eſſet, qui non maxima quæque de recens electo Epiſcopo, ut qui antehac magna & præclara præſtitiſſet, ſibi polliceretur.

Quæ in ſolio epiſcopali conſtitutus breviſſimo, quo præfuit, tempore *prudenter*, *ſalubriter* & *fru-*

ſuoſe præſtitit, leges apud *Stengelium* (*e*) *Khammium* (*f*) & in *Annal. Academiæ Ingolſtadienſ.* a *J. N.* MEDERERO vulgatis (*g*). Atque utinam diuturnior *Noſtro* honor epiſcopalis fuiſſet! Vix dum is bene diœceſeos ſuæ habenas capeſſiverat, cum conflictari ſe adverſa valetudine ſenſit, & immedicabili malo urgeri ad tumulum (*h*). Hoc modo exhauſtus, viribusque deſtitutus, antequam ſacram *Conſecrationem* accepiſſet, *Dillingæ* anno 1575. die 4. Junii obdormivit in Domino, maximo bonorum omnium luctu ac dolore. Cadaver, *Auguſtam* deportatum, ante Capellam *S. Agnetis* terræ mandatum eſt, addito Epitaphio ſequenti, quod ex marmore reſtitui, cum mutilum aſſerant STENGELIUS & KHAMMIUS:

D. O. M. S.
Joanni. Egolpho. a. Knöringen
Epiſcopo. Auguſtano
Principi. Pio. Docto
Et. Bonarum. Artium
Patrono. Liberaliſſimo
Immatura. Morte. Intercepto
Amoris. Et. Perennis. Memoriæ. Ergo
F. S. M. H. O. S
Anno. Chriſti. M. D. LXXV. M. IVN. D. IIII.
Vix. An. XXXVII. M. X. D. XI.
In. Iis. Eccleſiæ. Præfuit
An. II D. XVII.
D. O. M. O. S.

Morbo-

(*e*) In *Commentar. Rer. Auguſt. p.* 308.
(*f*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 367.
(*g*) In *Tom. IV. p.* 24. 25.
(*h*) Alii cauſſam morbi in malitiam improbarum mulierum rejiciebant: alii naturæ adſcribebant iracundæ: alii venenato attactui tribuebant: alii alia comminiſcebantur.

Morborum vitia & vitæ mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

Valentinus ROTMARUS Poëta laureatus, in Univerſitate *Ingolſtadienſi* Profeſſor *Eloquentiæ* hoc Epicedium *Noſtro* ſcripſit:

Hic jacet exili Princeps Knöringus *in urna,*
Et virtute potens, & Religionis aſylum.
Principibus gratus, proavis atavisque ſuperbus;
Omnia cui tribuit large fortuna, Deusque,
Quidquid in humanam fas eſt contingere ſortem.
Vermibus eſca datum corpus, mens lucida, ſupra
Sydera, conſpectu fruitur propiore Deorum.

Fuit *Noſter* ſtatura corporis procera & pene heroica, vultu ſereno, nitido ac læto, nec minoribus animi, quam corporis, dotibus præditus. Fuit prudens; in rebus agendis induſtrius; magnificus; liberalis; vere excelſi animi; adeo ut nihil ſordidum humileve cogitaret, ſed omnia magnifica, celſa, heroica affectaret. Fuit humanitate, affabilitate ac morum elegantia ſingulari: quibus omnibus non plebis ſolum animos, ſed etiam Principum, nominatim *Alberti* Ducis *Bavariæ* (Huic non tantum gratus, ſed pene etiam familiaris fuit, & ab eodem in Conſiliariorum album relatus) ſummi item Pontificis, Cæſarisque *Maximiliani* gratiam ſibi maximam conciliavit; adeo ut ab iisdem non tantum ſummis honoribus ornatus, ſed etiam (quod virtutum ejus luculentiſſimum, teſtimonium & laus ſumma eſt) longe ſublimiore, quam *Auguſtano*, amplioreque epiſcopatu digniſſimus fuerit judicatus.

Fuit denique (nam litterariæ *Noſtri* laudes me vocant) Vir perquam eruditus; ſingulari doctrina præditus; ut litterarum apprime intelligens,

ita

ita litteratorum (*) apprime amans; eleganti, copioſaque elocutione præſtans; variis modis ſcientiarum amplificationem curans. Studioſos adoleſcentes, mœcenatibus facultatibusque deſtitutos, qui ad ipſius liberalitatem confugerant, vel viatico proſequebatur, vel majori relevabat ſubſidio. Non minore erat in viros doctos ac præſertim eccleſiaſticos liberalitate, quos ultro muneribus ad ſe alliciebat & ad ſacram militiam, Religionisque defenſionem incitabat. Quin etiam ſuos in ſtudiis habebat alumnos, quos aliquando Eccleſiæ profuturos ſperabat. Sed his omnibus multo præſtat, quod modo dicturus ſum. Ut eximiam, qua litteras litteratosque fovit, liberalitatem documento longe magnificentiſſimo & æternum duraturo comprobaret *Noſter*, Bibliothecam is ſuam ampliſſimam inſtructiſſimamque, pietatis ergo, in communem Reipublicæ litterariæ ſalutem, præſertim vero Eccleſiæ Religionisque incolumitatem, vivus, antequam Epiſcopatum adiit, Academiæ *Ingolſtadienſi* donavit: theſaurum tot laboribus, tanto auri diſpendio, tantis viarum anfractibus conquiſitum: theſaurum tum ipſius KNOERINGII, tum etiam *Henrici Loriti* GLAREANI *P. L. Familiaris* Imperatoris, Hiſtorici & Hiſtoriarum apud *Friburgenſes Briſgoiæ* Profeſſoris (quod ſupra audivimus) nomine maximi faci-

(*) Favit inter alios plurimum *Hannardo* GAMERIO *Moſæo*, Poetæ Laureato, olim in Academia *Ingolſtadienſi* Profeſſori; qui *Noſtro* plura ſuorum *Carminum* dedicavit, nominatim *Satyras duas anno* 1568. in 4to. excuſas: ubi eum non modo Patronum, ſed etiam *Patrem* ſuum vocat: *eumque omnibus Religioſis Viris, maxime piis ac doctis, gaviſum, & omnium bonorum conſuetudine valde delectatum fuiſſe* teſtatur.

faciendum (*i*). Addidit multa *Numiſmata antiqua ex auro, argento & ære* fabrefacta, aliquot centum florenorum pretio æſtimata, tum *majoris* tum *minoris moduli*, *ſtatuas marmoreas*, *effigies integras & dimidiatas*, *picturas*, *antiquitatum libros*, *Codices manuſcriptos*, *& alia Veterum monumenta*, quæ non exiguis ſumptibus ſibi paraverat. Adjecit his omnibus pretioſa pro Sacello ornamenta & cienodia, itemque centum florenorum in ſingulos annos redditus, quibus Bibliothecarius ali, Bibliotheca conſervari & locupletari poſſet. Ex hac vero plane regia munificentia etiam id laudis ad *Noſtrum* redit, quod ſuo exemplo *Alberto* HUNGERO & *Martino* EISENGREINIO, itemque *Rudolpho* CLENCKHIO &c. dux fuerit atque incentor, ut eandem, illi Academiam non ita multo poſt lectiſſimæ ſuppellectilis ſuæ librariæ hæredem teſtamento ſcriberent, quibus illa acceſſionibus, intra breve temporis ſpatium, ad invidendam magnificentiam crevit (*k*). Quare, ut tanti benefacti gratam memoriam ſervet Academia,

(*i*) V. MEDERER *Ann. Ingolſt. Academiæ. T. II. p.* 18. & 22. & *T. IV.* n. LII. ubi *Donationis* hujus *Inſtrumentum* exhibetur.

(*k*) *Ad.* WEISHAUPT in *Orat. panegyr. anno* 1769. *p. II. Incunabula typographica* circiter 1400. quæ hæc Bibliotheca ſervat, ad annum Chriſti 1500. usque excuſa, illuſtrare & publicæ luci dare cœpit anno 1787. *Sebaſtianus* SEEMILLER *Can. Reg. Pollingauus*, *Linguarum orientalium in eadem Univerſitate Profeſſor publicus &c. &c.* vulgato *Faſciculo I.* ubi in *Præfatione* de Bibliotheca mox memorata ait: *Quæ non modo tot continet monumenta typographica Sæculi XV. quot vix ulla alia Bibliotheca academica (vel certe pauciſſimæ) verum etiam recentiorum librorum tanta copia quin & ſelectu inſtructa eſt, ut cum plerisque Bibliothecis academicis in Germania de palma concertare poſſit, a non multis vincenda.*

mia, quotannis inter parentalia, quæ ſibi fieri *Noſter* voluit, uni ex Profeſſoribus KNOERINGIUM *Oratione panegyrica* prædicandi provinciam demandare conſuevit (*l*). Sed de hoc ſatis!

Iis, quæ de *Noſtro* attuli, unum, quod addam, habeo: videlicet eum, ne plane aſymbolus palæſtra excederet litteraria,

I. Libros nonnullos

ex latino ſermone in linguam patriam a ſe converſos luci dediſſe; uti STENGELIUS & ex hoc KHAMMIUS affirmant: at neuter horum, quinam illi ſint, diſtinctius annotavit. Fors iſtorum Libellorum e numero eſt

II. Libellus de Uſura.

cujus *Valent.* ROTMARUS (*m*) meminit his verbis: *In eadem epiſcopatus ſui adminiſtratione, multum diuque de Uſuris tollendis, abolendiſque penitus elaboravit*; *quemadmodum* Libellus *de ea re typis evulgatus teſtatur.* Paulo clarius loquitur *Guilielmus* EISENGREIN in *Catalog. Teſtium Veritatis, Dillingæ.* 1565. dicens: *Jo. Aegolphus a* KNOERINGEN...

III. *Pſalmos ſeptem pœnitentiales & alia quædam in germanicam tranſtulit linguam.*

Hæc de KNOERINGIO dicta ſufficiant, de quo dubitare minime licet, quin majora, imo maxima quæque Reipublicæ præſtiturus fuiſſet; niſi eum Superi

(*l*) Extant hujusmodi *Parentalia* a *Joanne* CRESSELIO edita. Fuſe etiam in hujus *Donationis* laudes excurrit *Georg.* STENGELIUS in *Dedicat.* ad *Scarabæum* ſuum, 1625. *Ingolſtad.* in 4to.

(*m*) In *Annal. Acad. Ingolſtad.* a MEDERERO editis, *T. II. p.* 25.

Superi nobis morte nimis celeri rapuiſſent. Hinc verbis ROTMARI finio:

Heu nihil invitis homines fas fidere Divis !
Qui fuerat longo Præſul digniſſimus ævo ,
Vix ille oſtenſus terris , in limine regni
Deficit , & primis Heros cadit inclytus annis.

SCHAUMBURG(*Petrus* a)Cardinal. & Epiſc. Aug.

Nobilis *Francus* , familiæ ſuæ (*a*) clariſſimum ſydus , *a juventute litteris latinis juxta ac græcis egregie excultus* (*b*) in celeberrima Academia *Bononienſi* (*c*) ſtudiis operam dedit. Hic, poſtquam animum ad ſtatum clericalem adjeciſſet, mox duos Canonicatus, videlicet in Eccleſiis *Bambergenſi* & *Wirceburgenſi* conſecutus eſt. *Romæ* dein longiori , ut credibile eſt , temporis ſpatio commorans , a *Martino III.* aliis *V.* ob præclaras ingenii animique dotes non ſolum primo quidem inter *Scutiferos* , deinde

(*a*) De Gente *Schaumburgica* videri poterit HARTARD *Reichs - Adel.* Liber: *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel. T. VI. p.* 225.

(*b*) Ita teſtatur cum aliis *Joann. Carolus a* STAEDEL *in Stadelhofen* in ſua *Germania purpurata* , quæ extat *manuſcripta* in Biblioth. *FF.* VEITHIORUM *Auguſtæ* , una cum alio Tractatu ab eodem STAEDELIO ſcripto & inſcripto: *Compendium Geographiæ eccleſiaſticæ univerſalis.* Ceterum Auctor in fronte prioris Operis vocat ſe *Eccleſiarum cathedralium Curienſis & primariæ ad SS. Germanum & Mauritium Spiræ Canonicum* , *in Baſilica S. Mariæ trans Tyber in Romæ* , ubi *Opus* illud initio labentis ſæculi concinnavit , *Confeſſarium ac in Theologia Magiſtrum.* In fronte poſterioris *Operis* nominat ſe *Patritium Moguntinenſem* , *Canonicum cathedralis Curienſis, & Equeſtris Wimpinenſis.* Hæc ad Viri optimi memoriam ab oblivione vindicandam dicta ſunto.

(*c*) Ita *Alphonſus* CIACONIUS in *Vitis Pontif. T. II. p.* 911.

de quoque inter *Cubicularios honoris* adlectus ; ſed etiam *Pupelino de Eiſenberg*, & *Berchtoldo de Reichartsweil*, quos ambos ſciſſa Canonicorum *Auguſtanorum* ſtudia epiſcopali ſolio deſtinarant, repudiatis , ipſe in Epiſcopum *Auguſtanum* anno Chriſti 1421. conſtitutus eſt. Rei ſeriem ſequentibus narrat *Corb.* KHAMMIUS (*d*) : „ Abſoluto Concilio „ *Conſtantienſi Martinus III.* dictus *V*... ſchiſmatibus hinc inde etiamnum hærentibus.. extinguendis ſtudioſe intentus , ſchiſma quoque *Auguſtanorum* conſopivit. Accepto enim afflicto „ Eccleſiæ *Auguſtanæ* ſtatu & diſſidiis inter duos epiſcopos , & cives.. recrudeſcentibus , *Anſelmo de Nenningen* & *Friderico de Gravenegg* epiſcopis abdicationem epiſcopatus ſuaſit & perſuaſit. Quare certior redditus de utriusque epiſcopi ceſſione deſignavit epiſcopum *Auguſtanum* Nobilem *de Ehrenfels*, quo.. oblatam dignitatem.. „ recuſante conceſſit Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ* Canonicis liberam electionem. Verum diſcrepantibus eligentium animis duo epiſcopi lecti *Pupelinus de* EISENBERG & *Berchtoldus de* REICHARTSWEIL. Uterque epiſcopus inaugurari adlaboravit, uterque *Romam* properavit, uterque cauſſam ſuam coram pontifice dixit,uterque cauſſa cecidit, & tertius inter duos litigantes epiſcopatu Auguſtano gaviſus eſt *Petrus a Schaumburg* (*e*). "

Hac ratione epiſcopali dignitate auctus *Noſter*, proficiſci in ſedis ſibi deſtinatæ poſſeſſionem

B 2 trien-

(*d*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. cath. p.* 278.

(*e*) Confer *Paul.* a STETTEN in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *T. I. p.* 150. & GASSARUM in *Annal. Augſtb.* p. 1564. **qui tamen cautius legendus eſt, quod falſa veris miſceat.**

triennio toto diſtulit, donec anno 1424. die 4. Junii *Auguſtam* appulit, & cedente penitus *Anſelmo de Nenningen* ad clavum Eccleſiæ ſuæ ſedere cœpit (*f*).

Sed nondum honorum in *Noſtrum* ultro collatorum finis — De iis, quos *Martinus III.* aut (ſi mavis) *V.* quem, *peculiariſſimum poſt Deum creatorem ſuum*, *Noſter* in *Oratione* ſua *euchariſtica* inferius ex *MSSto.* apponenda appellat, in eundem conferre dignatus eſt, audivimus. Hujus Papæ exemplum imitatus ſucceſſor *Eugenius IV. Noſtrum* anno 1439. in Concilio *Florentino* purpuratis Patribus adſcribere non dubitavit (*g*), creans Cardinalem presbyterum *S. Vitalis*, alias *Veſtinæ*. Iſtam autem dignitatem *Petrus* tum quidem acceptare publice diſtulit, non contemptu, ſed prudenti admodum conſilio, quod ipſe in mox memorata *Oratione* ſua expoſuit, dicens: *Nullo enim pacto ut Cardinalis conſiliis tractatibusque Principum Alemanniæ, vigente animorum eorum ſuſpenſione, admiſſus adfuiſſem: ubi tamen aliunde ... juxta meæ parvitatis modulum, pro rerum gerendarum, quod potui, contuli commoditate.* Rebus vero Germaniæ in meliorem redactis ordinem, diſſidiisque Optimatum conſopitis anno jubilæo 1450. *Romam* petere non intermiſit; ubi, *Eugenio IV.* interea fatis ſupremis functo, abs ſucceſſore ejus *Nicolao V.* galerum cardinalitium ſuſcepit (*h*) ſolenni *Oratione* de exhibitis

(*f*) *Paulus a* STETTEN *l. c.* p. 151. GASSARUS *l. c.* p. 1564. KHAMMIUS *l. c.* p. 279. 280.

(*g*) CIACONIUS in *Vitis Pontiſ. T. II. p.* 911. KHAMM *l. c. p.* 279.

(*h*) Ex his corrigendus GASSARUS, ſcribens: *Noſtrum a Martino V.* Cardinalem fuiſſe creatum. Ex iisdem concili-

bitis ſibi a memorata Pontificum triade gratiis gratias ampliſſimas agens. Tribus mox memoratis Pontificibus acceſſit quartus, *Paulus* ſcilicet *II.* qui *Noſtrum* anno 1467. (non anno 1438. ut mendoſe ſcribit GASSARUS) per *Laurentium* Antiſtitem *Ferrarienſem*, *Auguſtam* deſtinatum, in feſto Præcurſoris Domini *Legatum a latere per Germaniam* conſtituere dignatus eſt: unde *Noſter* eodem anno *Conventui* Imperii *Norimbergenſi* die 8. Julii habito nomine Pontificis, una cum prædicto *Ferrarienſi* Epiſcopo præſedit; uti legere eſt in *H. Ch.* SENCKENBERG *Selectis Juris & Hiſtor. T. IV. p.* 316. 317. & in RAYNALDI *Annal. eccleſiaſt. ad h. a.*

Verum non eccleſiaſticis duntaxat, ſed ſæcularibus etiam Principibus (minime autem *Ferdinando II.* ut male habet KHAMMIUS, qui haud dubie ſcribere voluit *Alberto II.*) nominatim *Friderico III.* charus apprime ac gratioſus fuit *Noſter*; a quibus ad graviſſima Imperii & Regnorum negotia pertractanda adhibitus miram prudentiam, maximamque rerum gerendarum dexteritatem luculenter, nec ſine optato ut plurimum eventu, oſtendit. Juvat hujus generis exempla nonnulla proferre in medium. Juſſu *Sigismundi* Romanorum Regis *Henricum VI. Angliæ* inter, & *Carolum IX. Galliarum* reges, *Philippumque Burgundiæ* ducem pa-

cillandus cum BRUSCHIO *Alphonſ.* CIACONIUS. Ceterum quæ dictus GASSARUS de *Noſtro* ulterius monet, *ac ſi ab Eugenio IV. rurſus cardinali faſtigio privatus fuiſſet, quod Felicis V. Antipapæ partibus ſe junxiſſet*, haud adoptanda eſſe cenſeo; tum quod de hoc Scriptores reliqui altum ſileant: tum KHAMMIUS *l. c. p.* 281. diſerte affirmet, *Petrum aſſertorem Eugenii IV. legitimi Pontificis conſtantiſſimum fuiſſe*: quibus concinit *Georg. Joſ.* EGGS in *Purpura docta, L. III. p.* 120.

cem conciliavit, habita in eum finem *Oratione*, quam inferius ex *MMSto.* attexere placuit. Bellum quoque Ducum *Bavariæ* cum *Albrechto Brandenburgico* Marchione complanavit (*i*). A *Friderico III.* Imperatore ad Conventum *Francofordienſem*, una cum *Sylveſtro* Epiſcopo *Chiemenſi Legatus* abiit (*k*). Similiter multo illuſtriſſima Legatione a *Nicolao V.* cohoneſtatus eſt, ad excipiendum videlicet *Fridericum* Cæſarem, in *Italiam* & *Romam* tendentem, tum ut Imperii coronam acciperet, tum ut *Eleonoram*, *Eduardi Luſitaniæ* regis filiam, matrimonio ſibi jungeret: qua Legatione *Noſter* egregie perfunctus, maximisque a Cæſare muneribus affectus, anno 1452. menſe Septembri *Auguſtam* redivit (*). Taceo alia quamplurima, ne fuſior ſim. Quivis enim facile ſibi perſuadere poterit, maximam harum laudum ſegetem in *Petro* extitiſſe, quem ut *Judicem*, *Arbitrum*, *Legatum* ſæpiſſime expetitum, a plurimis Diœceſanis velut *Palladium Trojanum* veneratum, per univerſam pæne *Germaniam* inſtar *Oraculi Delphici* conſultum fuiſſe, bene monuit KHAMMIUS (*l*).

Quam *Petrus* Rei *publicæ* operam egregie impendit, eam Rei *eccleſiaſticæ* negavit minime. Sic *Baſileam* profectus in *Concilio* ibi anno 1431. celebrari cœpto magnam partem habuit, una cum *Berenga-*

(*i*) V. GASSARUM *l. c. p.* 1565.

(*k* Ita teſtatur *Aeneas* SYLVIUS in *Hiſtor. Frider. Imperat.* inter KOLLARII *Analecta. T. II. p.* 125.

(*) V. *Georg. Joſ.* EGGS in *Purpura docta*, *L. III. p.* 120.

(*l*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. cath. p.* 279. Qui plura de politicis *Noſtri* laboribus reſcire avet, legat GASSARUM in *Annal. Augſtb. p.* 1564. 1565. *Paulum a* STETTEN in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *T. I. p.* 193. 201. 241.

rengario Petregoricenſi , & *Delphino Parmenſi* epiſcopis, *Judex ſeu Commiſſarius ad audiendum omnes cauſſas , ad dictam Synodum devolutas ſeu devolvendas* (*cauſſis concernentibus Fidem exceptis*) a Patribus conſtitutus ac deputatus (*m*) : itemque (ut KHAMMIUS (*n*) addit) *inter Concilii Patres deliberandi & ſtatuendi , quæ ad conſervationem fidei , hæreſum ubique graſſantium extirpationem , nec non quorumlibet aberrantium , potiſſimum Bohemorum, reductionem pertinerent , poteſtate a ſummo Capite donatus.* Similiter in Concilio *Moguntino* provinciali anno 1451 celebrato demandatas ſibi abs *Nicolao V. Legati Sedis apoſtolicæ ad Clerum Germaniæ* partes ſuſtinuit.

Quisquis *Petrum* bono utriusque Reipublicæ promovendo augendoque intentiſſimum cogitat , is in animum profecto inducet ſuum , eo magis *Noſtrum* ſuæ privatim Eccleſiæ ac Diœceſeos *Auguſtanæ* commoda curæ cordique habuiſſe. Anno 1450. *Romam* (ut ſupra audivimus) profectus , Monaſterio *San - Udalricano* , *Auguſtæ* , Privilegia papalia impetravit. Anno ſequenti (1451.) *Campidonenſis* cænobii incolis , annoque proximo (1452.) etiam *Elvacenſis* aſceterii alumnis (nam utriusque monaſterii adminiſtrationem adeptus fuerat) eligendi ſuo e gremio abbatis liberam poteſtatem conceſſit. Anno 1456. cum patriam tum Turcarum irruentium furor , tum aliæ neceſſitates publicæ premerent , indictis ſupplicationibus , quarum *Decretum* inferius ex *MSSto.* exhibeo , Numen divinum placari curavit. Alia plurima , omnique laude digna

B 4 n

(*m*) V. LABBEI & COSSARTII *Collect. Concil. Edit. Venet. T. XVII. p.* 251.

(*n*) *Loco ſæpius citato.*

in hanc rem narrant STENGELIUS, KHAMMIUS, *Carol.* MEICHELBECK in *Chron. Benedictobur.* GASSARUS, *Paulus a* STETTEN & alii, quæ commemorare longum foret & ab Operis mei inſtituto abſonum. Synodum (*o*) autem ſilentio præterire non con-

(*o*) Laudabile hoc *Synodos diœceſanas* convocandi inſtitutum tum ante, tum poſt *Petri* noſtri tempora ſtudioſe obſervarunt Epiſcopi *Auguſtani* complures. Ex his eos, quorum *Synodalia Decreta* ad nos usque haud pervenerunt, hoc loco non morabor: illos autem, quorum *Synodi* hodiedum extant, nominatim laudare oppido decet. Sunt illi autem ſequentes

I. S. UDALRICUS, de quo infra peculiari paragrapho agam.

II. *Fridericus* SPETH *de Turnegg*, aliis *de Vaihinga*, aliis *de Faimingen*, *Nobilis Suevus. Antiſtes perquam religioſus, ſibi parcus, in alios liberalis, egregie prudens, mitis, providus, & maximarum virtutum auctoritate graviſſimus. Adiit epiſcopatum anno* 1307. *Rexit annis* 22. *Obiit anno* 1330. *poſt exantlatos multos pro ſua eccleſia labores, ſepultus in templo cathedrali.* Vide tum de hoc, tum de ſequentibus Epiſcopis *Car.* STENGELII *Comment. Rer. Auguſt.* & KHAMII *Hierach. Auguſtan. P. I. cath.* ubi geſta eorum fuſe narrata habes. Hic epiſcopus 1o. anno 1321. *Synodum* celebravit, quam exhibet in *Synodico* ſuo *Auguſtano* in 4to. 1766. *Mindelhemii* excuſo, RRmus. *Joſ. Ant.* STEINER, *p.* 72. 2o. Litteras *Noſtri*, quibus Præpoſito &Conventui in *Herbrechtingen* donat & transfert jus Patronatus in *Stozingen* anno 1329. datas habes in BESOLDI *Monum. Wirtemb. p.* 589.

III. *Burckardus ab* ELLERBACH unanimi ſummi Collegii conſenſu anno 1373. Epiſcopus *Auguſtanus* renunciatus, Princeps laudatiſſimus, poſt plura cum Senatu Populoque *Auguſtano* habita gravia diſſidia, quæ in ſe concitaverat, quod Principibus adverſus Civitates Imperiales conjurantibus ſeſe junxiſſet: poſt hæreſin *Wicleffi*, *Auguſtæ* enaſcentem, adlaborante Senatu patrio, in cunis ſuffocatam: aliaque bene geſta fatis ſupremis conceſſit anno Chriſti 1404.

Anno

convenit, quem *Noſter* ad tollendos *innumerabiles errores tam in Clericis quam Laicis ſuæ jurisdictioni*

B 5 *ſub-*

Anno 1377. *Noſter* celebravit 1°. *Synodum diœceſanam*, quam ex Codice pergameno Bibliothecæ *Ottoburanæ* primus publicavit RRmus. *Joſeph. Anton.* STEINER in *Synodali Auguſtano*, in *Appendice*. 2°. Diploma, quo *Noſter* Eccleſiam *S. Viti* in *Hirnheim* monaſterio *Deggingenſi* Ord. *S. Bened.* penitus unit, anno 1398. 17. Junii datum exhibuit *Bernard.* PEZIUS in *Codice epiſtolari*, *P. III. p.* 121.

IV. *Joannes* ex Comitibus *de* WERDENBERG, *matre Comitiſſa Würtembergenſi natus*, *Princeps feſtivus*, *cati ſagacisque ingenii*, *abditiſſimæ prudentiæ*, *tantæ auctoritatis ac æſtimationis*, *ut Fridericus III. Imperator*, *durante abſentia ſua*, *unicum Filium Maximilianum ejus tutelæ ac diſciplinæ commiſerit*: *nec non congregati anno* 1480. *in Norimbergenſibus Comitiis Proceres ex omnibus S. R. I. Principibus Joannem noſtrum Legatum elegerint ad conciliandos animos Ludovici XII. Galliæ regis & mox memorati Maximiliani Auſtriaci*, *de Burgundiæ ducatu diſceptantium*. Eodem anno 1480. ſuam in demortuum *Othonem III.* Imperatorem reverentiam apte oſtendit, dum lapidem ſepulchralem, quo exta hujus Cæſaris, a *Sigefrido* I. Epiſcopo *Auguſtano* ex *Italia Auguſtam* transvecta, tegebantur, vetuſtate attritum ſollicite reparavit hac epigraphe:

Romani Imperii decus amplum, *tertius Otho*
Oſſa in Aquisgrani, *hic viſcera clauſa tenet.*
Auguſtæ anno Chriſti M. II. ſexto Kal. Febr.
Regni ſui anno XVIII.
Hoc Saxum dicavit Joannes Comes
de Werdenberg Epiſc. Auguſt. Anno M. CD. LXXX.

Poſtquam cum multa laude annus 17. *præfuiſſet*, *inter graviſſima Imperii negotia obiit anno* 1486. *Francofurti in Comitiis*, *in quibus Maximilianus in Romanorum Regem electus fuit. Funus Auguſtam revectum in cathedrali Eccleſia requiem invenit. Sigismundus* MAYSTERLINUS in *Chronico eccleſ. Auguſtan.* vocat *Virum moribus & vita inſignem*; & in *Indice Monaſterii San - Udalricani MSSto.* ſequenti elogio eundem cohoneſtat: *Nuper omnium Principum Germaniæ*

ſubjectis, *ac corrigenda ſpiritualia magna & gravia ſcandala* in cathedrali Eccleſia *Auguſtana* indixit: & de qua ſermo inferius recurret.

Tandem

maniæ Ambaſciator ad Regem Franciæ & Ducem Burgundiæ exſiſtens ſuis virtutibus cumulum adjecit: ſub eoque Præſule floret Eccleſia Auguſtenſis, viris doctis ac peritis ubique munita.

Joannis noſtri extat *Synodus diœceſana anno* 1469. *die Lunæ*, 25. *Septembris in oppido Dillingen* celebrata, quam RRmus. D. *Joſ. Anton.* STEINER editis a ſe anno 1785. *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ*, *p.* 23. inſeruit.

Artem typographicam illo tempore inventam, & jam intra urbis Auguſtanæ mœnia receptam multimodis foviſſe videtur. Sub eo *Joannis de* JANUA *Catholicon*, cui proximus *Noſtri* deceſſor *Petrus de* SCHAUMBURG Cardinalis & Epiſcopus *Auguſtanus* initium dederat, per *Gintherum Zeiner* typographum anno 1469. die ultima Aprilis finem accepit, teſtantibus id verſibus ad calcem Operis additis:

Vindelica finitur in urbe ſerena,
Quam Schowenberg tenuit, qui libro præludia dedit.
Terminat ſed divus præſul ex Werdemberg altus.

Idem cum vidiſſet, ex Officina *Erhardi* RATDOLT, *Breviaria* pro diœceſi ſua quam commodiſſime impreſſa, eum typographum, ut ſe ex Italia, relicta *Venetorum* urbe, *Auguſtam* reciperet, vehementer hortatus eſt. Aſt hoc præſulis digniſſimi conſilium cum mors intercepiſſet, illud curis ſuccedaneis perfecit ejus ſucceſſor *Fridericus a* ZOLLERN. De his omnibus conſule, Lector! meam *Diatriben de Origine &c. Artis typographicæ in urbe Auguſta, p.* XXXVII. &, quibus hæc præmiſſa extat ZAPFII *Annales Typograph. Auguſt. p.* 4.

V. *Fridericus a* ZOLLERN, Comite *Zollerenſi* ac Comitiſſa *Werdenbergenſi* progenitus, & hinc præcedentis *Joannis de Werdenberg* ex ſorore nepos, Decanus Eccleſiæ *Argentinenſis*, patrocinantibus *Friderico III. Maximiliano* ejus filio, & S. R. I. Electoribus *Francofurti* congregatis, anno 1486. Epiſcopus *Auguſtanus* renunciatus, præfuit annis 19. Vir mitis, caſtus, eleemoſynarius, epiſcopatus amplificator, & omnibus virtutibus, præſule

ſacro

Tandem, dum Eccleſiæ tum univerſalis, tum privatim *Auguſtanæ* utilitatibus ſollicitus invigilat, dum

ſacro dignis, ornatus. In Comitiis *Norimbergenſibus* eo tempore habitis, inque aliis pluribus maximi momenti negotiis per *Romanum* imperium partem magnam habuit. Multis præclare geſtis anno Chriſti 1505. ætatis vero 55. vitam finiit, ſepultus in æde cathedrali *Auguſtana*.

A *Friderico* noſtro ſuperſunt 1o. *Epiſtola ad Joannem* GEILER *de Keiſersberg* eloquentiæ, integritatis & doctrinæ per id temporis laude celeberrimum Concionatorem; qua ſe, dum *Argentinæ* fuit, auditorem *Geileri*, de cathedra dicentis, ſollertiſſimum ſuiſſe prodit, ſimulque eum *Auguſtam* invitat, ut ſaltem unius anni ſpatio in Cathedrali Eccleſia populum de ſacro ſuggeſtu doceret. Paruit Epiſcopi petitis *Geilerus*, & pluribus menſibus *Auguſtæ* concionatus eſt. 2o. *Synodus diœceſana* a *Noſtro* anno 1486. celebrata. Ambo hæc monumenta dedit orbi litterato RR. D. *Joſ. Ant.* STEINER in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ*, *p.* 43. *ſeqq.* 3o. *Decretum* denique *de Translatione Reliquiarum S. Symperti*, ſolenniſſime facta, exhibet *Bern.* PEZIUS in *Theſ. Anecd. T. II. P. III. p.* 447.

Præterea *Fridericus* (quod paullo ante monui) in eo elaboravit maxime, ut *Erhardum* RATDOLTUM eximiæ artis opificem *Venetiis Auguſtam* reduceret, cujus, in epiſcopalem quaſi typographum aſſumpti, typis elegantiſſimis multi poſtea Libri, Cleri & Eccleſiæ Auguſtanæ uſibus deſtinati (Conſule meam *Diatriben de Origine & Incrementis Typograph. Auguſtan. p. XLI.*) mire nitidi in publicum *Noſtro* auctore, duce, auſpice prodiverunt. Qua re urbs *Auguſta* Epiſcopo huic ſuo referre acceptum jure debet, quod ei hodiedum de tam artificioſo Viro, Librisque plurimis *Auguſtæ* ab eo elegantiſſime cuſis gloriari liceat.

VI. *Henricus a* LICHTENAU, ſuæ gentis ultimus, poſt frequentata *Germaniæ* & *Italiæ* gymnaſia, in Academia *Ticinenſi Juris utriusque Doctor* renunciatus. Vir ſapientia & virtute præſtans, hominum pietate & doctrina excellentium amans, affabilis, hilaris, multi ſalis, erga hoſpites liberalis; cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ *Canonicus*, *Scho-*

dum Imperii regnorumque emolumenta modis, quibus poterat, omnibus promovet, ſenio laboribusque

Scholaſticus, Præceſſoris ſui *Friderici* mox dicti *Vicarius in Spiritualibus generalis*, intimusque Conſiliarius, demum anno 1505. *Epiſcopus Auguſtanus* concordibus votis electus: in Comitiis *Auguſtanis* anno 1512. habitis *Legatione* ſummi Pontificis functus, *Maximiliano* Auguſto percharus, maximæque apud eum in conſiliis auctoritatis. *Vir magnus, vereque ſapiens, cujus vita univerſa totius erat probitatis & honeſtatis exemplum*: cum Diœceſis emolumenta & ornamenta impigre promoviſſet, anno 1517. ætatis 77. 12. Aprilis, ipſa *Paſchalis* ſolennitatis die in Domino obdormivit, Oratione funebri abs *Jo.* ECCIO laudatus, quam anno 1517. *Auguſtæ* excuſam vide. Ab ipſo habentur: *Statuta Diœceſana RRmi. in Chriſto Patris & Domini D. Henrici Epiſc. Auguſt. in celebratione Synodi, craſtino S. Margarethæ.* in *folio*. 1506. Excudit *Erhard.* RATDOLTUS. Extant item in *Synodico Auguſtano* a *Joſ. Ant.* STEINER. 1766. vulgato, *p.* 137.

VII. *Chriſtophorus a* STADION, cui peculiarem paragraphum deſtino.

VIII. *Otho* TRUCHSESSIUS *a Waldburg*, de quo itidem ſingulari paragrapho agetur.

IX. *Marquardus a* BERG, nobili & perantiqua *Suevorum* familia oriundus, ejus familiæ poſtremus, J. V. D. Canonicus *Moguntinus*, Eccleſiarum *Auguſtanæ* & *Bambergenſis* ſummus *Præpoſitus*, munere hoc per 16. annos *Auguſtæ* laudatiſſime geſto ad dignitatem epiſcopalem quodammodo præparatus, tandem anno 1575. die 26. Julii per modum inſpirationis Epiſcopus eligitur. Fuit *Marquardus* non tantum in ſpiritualibus, verum etiam temporalibus apprime diligens, juſtitiæ amator ſingularis; viros doctos quocunque eruditionis genere fulgentes favore magno eſt proſequutus, multumque ad *Collegium* & *Gymnaſium Societatis Jeſu* in urbe *Auguſta* erigendum contulit. Plurima per controverſiæ de *Calendario Gregoriano* exortæ tempora tulit fecitque. Summis Principibus charus, ſæpe ab Imperii ſtatibus *Commiſſarius* ſive *Orator*, pacis inter perſonas principes conciliandæ ergo, fuit expetitus. In Comi-

busque fractus, adſcito paucis ante obitum menſibus Coadjutore digniſſimo *Joanne* Comite *de Werdenberg*,

Comitiis Auguſtæ, anno 1582. celebratis *Legatus Rudolphi II.* Imperatoris delectus, & ejus nomine adventantes Principes excipere juſſus eſt. Multis præclare geſtis *Dillingæ* anno 1591. die 28. Januar. naturæ conceſſit. Statuerat ſecum *Marquardus* cogere *Synodum* diœceſanam, ſed neſcio quibus cauſſis impeditus non coegit. Interim *Exhortationem* in meditata *Synodo* a ſe habendam, pluraque alia *Præparatoria* ad eandem, ſcripta poſt ſe reliquit; quæ RRmus. *Joſ. Ant.* STEINER in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ, p.* 117. luci publicæ dare non intermiſit. Præterea, cultui divino promovendo intentus, ut in Eccleſia omnia rite atque ordine debito gererentur, *Ritus eccleſiaſticos Auguſtenſis epiſcopatus*, aut (ſi mavis) *Rituale* juſſu *Othonis* TRUCHSESSII anteceſſoris ſui aba Viris peritis ac doctis recognitum, ſed morte ejusdem *Othonis* interveniente (neſcio) ubi per aliquot annos deliteſcens, in lucem protractum, additis pluribus & *Epiſtola ad Clerum univerſum Auguſtanum* præmiſſa, *Dillingæ*, per *Joannem Mayer*, anno 1580. in 4to. elegantiſſime excudi fecit.

X. *Joannes Otho de* GEMMINGEN, Canonicus *Eyſtettenſis*, itemque anno 1562. Canonicus *Auguſtanus*, & anno 1580. etiam *Decanus*, poſt recuſatum Epiſcopatum *Eyſtettenſem*, tandem anno 1591. die 21. Martii concordibus ſuffragiis electus Epiſcopus *Auguſtanus*, non ſine omnium Catholicorum applauſu ac congratulatione. Princeps nobiliſſimo a natura ingenio præditus, ſingulari eruditione & ſapientia celeberrimus, a luxu domeſtico & faſtu abhorrens maxime, liberalitate, prudentia, aliisque virtutibus enitens, morum ſuavitate omnibus longe gratiſſimus. Obiit *Dillingæ* die 6. Octobris anno 1598. bonis omnibus communem Eccleſiæ patrem, vita longiori digniſſimum, lugentibus. *Joannes Otho* noſter, cum, ob graſſantem anno 1592. peſtem, convocare *Synodum* haud liceret, in reſtauranda eccleſiaſtica diſciplina indefeſſus edidit anno 1593. *Edictum*, aut ſi mavis, *Inſtructionem brevem Sacerdotum*,

denberg, de quo mox dixi, anno 1469. die 12. Aprilis in Arce *Dillingana* animam creatori reddidit. Corpus

dotum, quam in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ* exhibet RRmus. *Joſ. Ant.* STEINER, *p.* 134.

Suadet nominis affinitas, alium ex nobiliſſima gente *de* GEMMINGEN, videlicet *Julium Henricum* hoc loco commemorare brevibus. Hunc ad annum 1630. inter *Inſcriptos Academiæ Ingolſtadienſis* lego in *Annal.* ejusdem *Academiæ* a MEDERERO editis, *T. II. p.* 257. Fuit Eccleſiæ *Eyſtettenſis* & *Auguſtanæ* Canonicus, & poſterioris quoque ſummus *Cuſtos* anno 1656. Orator floridæ eloquentiæ & facundiſſimus. Vir pietate præſtans. Ab eo extant *Varii Faſciculi myrrhæ & aromatum ex Paſſione Domini collecti.* in 8o. c. figuris belle ſculptis. 1658. *Auguſtæ.* Apud *Andr. Aperger.* cujus libri etiam meminit KOENIGIUS in *Bibliotheca vet. & nov.*

XI. *Henricus de* KNOERINGEN, anno 1570. die 5. Februarii, peravita & nobiliſſima proſapia ortus, anno 1586. in album Canonicorum cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* relatus, poſtea *Cellarius* & *Procurator Capituli* ejusdem Eccleſiæ factus eſt. Eum ad annum 1589. inter Inſcriptos Academiæ *Ingolſtadienſis* lego in *Annalibus* memoratæ *Academiæ*, *T. II. p.* 113. & 117. Anno 1598. quo ipſo Canonicatum in *Elvacenſi* Eccleſia obtinuit, die deinde 29. Novembris per *Compromiſſum* (ut ajunt) in Epiſcopum *Auguſtanum* eligitur. In eo faſtigio poſitus mox veſtigiis Anteceſſoris ſui inhærens totis viribus deſudavit, ut Clerus reformaretur, impuri & incorrigibiles a Beneficiis removerentur, boni ac docti viciſſim promoverentur, pietas & Religio augeretur, ſubditi in avita fide retinerentur, errantes reducerentur, & a novis dogmatibus diœceſis purgaretur: quæ omnia quisquis accuratius cognoſcere avet, adeat STENGELIUM, KHAMMIUM, AUCTOREM *Hiſtoriæ Provinciæ Soc. Jeſu Germaniæ ſuperioris*, *T. II. III. IV. & V.* aliosque *Hiſtoricos.*

Claruit Noſter ſingulari prudentia, ad ardua natus, inſuperabilis in adverſis conſtantiæ, ad illatas ab inimica fortuna injurias impavidus, litterarum & litteratorum fautor ac Mecœnas, rigidus ſervator honeſti, juſtitiæ tenax, æqui obſer-

Corpus exanime *Auguſtam* advectum, ſolenniſſimis exſe-

obſervantiſſimus, *inter arma vinci neſcius*... Obiit *Dillingæ* anno ætatis 77. Chriſti vero 1646. die 25. Junii, & in templo *Societatis Jeſu* ibidem tumulo conditus eſt: cui præclarum epitaphium addere ſucceſſor ejus, RRmus. & Sereniſſimus *Sigismundus Franciſcus*, *Archidux Auſtriæ*, *Leopoldi* filius minime dubitavit, in hæc verba perſcriptum:

Sigismundus Franciſcus,
Archidux Auſtriæ,
Epiſcopus Augſpurgenſis.

Henricus a Knöringen ex equeſtri & libera Imperii nobilitate Epiſcopus Auguſtanus V. hujus nominis, hanc aram Deo & S. Michaeli Patrono poſuit ſacravitque, ad illam tumulatus in Eccleſia, quæ ipſius auſpiciis & ope ſurrexit. Pro Religione & Domo Dei ſe murum oppoſuit immobilem. Honori & cultui divino amplificando ubique intentus. Ab omni luxu, faſtu, vindicta alienus, beneficentia, comitate, ingenio, conſilio, eloquio, aliisque dotibus dignis Principe, omnium in ſe animos etiam ſenex rapuit ac retinuit. Academiam Hieronymianam, Societatis Jeſu curæ traditam, aucta dote, ſua & cathedralis Capituli ſui auctoritate ſtabilivit. Natus feſto S. Agathæ anno Chriſti M. D.LXX. Anno ætatis vigeſimo octavo poſtulatus, Epiſcopatum iniit anno Chriſti M. D. XCIX. Denatus vigeſimo quinto Junii anno Chriſti M. DC. XLVI. Quo poſt quinquaginta viginti ſeptem fere gentilitios circulos, candidos quidem, ſed mortalitatis atro ſtamini intextos, mors vitæ telam abrupit.

A *Noſtro* extat 1o. *Synodus diœceſana*, plena optimis ad Diœceſis emolumentum & ornamentum ſanctionibus, habita *Auguſtæ* in ſummo templo, menſe Octobri, anni 1610. eodemque anno *Dillingæ* typis excuſa; quam poſtea RRmus. *Joſ. Ant.* STEINER *Synodico* ſuo *Auguſtano*, *p.* 523. *ſeqq.* inſeruit. Habetur etiam in LUNIGII *Spicilegio eccleſiaſtico*, *Cont. II. p.* 381. Eandem *Synodum* tanti fecit *Alexander Sigismundus* epiſcopus *Auguſtanus*, ut eam typis anno 1693. iterum excudi fecerit hac addita Admonitione: *Ut præ vilioribus proniores optimis quibusque rebus inſidiæ ſunt, & quo (neſcitur) pacto velocius ad ſui con-*

ſumma-

exſequiis habitis, quibus Clerus univerſus, Abbates LIV. Magnates, Senatores, aliæque illuſtres Perſonæ interfuere, inEccleſia cathedrali ſacelloque

SS.

ſummationem perveniunt; ita exemplarium (Synodi) *numerus bellorum injuriis, uſu aſſiduo, edacique rerum tempore jam* bis *abſumptus eſt, ut novo rurſus prælo ſubdi neceſſe fuerit; apud conſcientiam noſtram læſionis genus reputantes*, tam pretioſum clericalis vitæ commeatum, *laudabili Majorum diligentiâ conquiſitum, noſtra injuria deperire &c.* V. LUNIGII *Spicil. eccleſ. Contin. II. p.* 433. 2o. *Epiſtolam Henrici* noſtri, ad Cardinalem PARAVICINUM 1610. 22. April. ſcriptam, aliaque *Fragmenta & Notas* ad memoratam Synodum pertinentes idem RRmus. Auctor in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ p.* 153. in publicum propoſuit. 3o. Plura *publica* Scripta *Noſtri* recenſet *Petrus* GEORGISCH in *Regeſto diplomatico*: quæ hoc loco fuſius deſcribere, brevitatis ſtudium vetat.

Noſtro jubente etiam ſcriptus eſt & typis tum *latinis*, tum *germanicis* vulgatus Liber: *Pacis Compoſitio inter Principes & Ordines Imperii Romani catholicos, atque Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes in Comitiis Auguſtæ anno M D LV. edita: quam Jureconſulti quidam catholici ex publicis Comitiorum Actis & Decretis adverſus compiurium Acatholicorum Commenta quæſtionibus illuſtrarunt. Anno M DCXXIX. Dillingæ.* in 4to. Operi huic ſucceſſit, haud dubie *Noſtro* iterum jubente, *germanicum* Scriptum: *Drey unterſchiedliche rechtliche* (*) *Bedenken &c. &c. &c. Dillingen.* 1630. Utrumque Opus *Henricus* noſter tribus *Juridicis Facultatibus, Friburgenſi, Wirceburgenſi, Ingolſtadienſi* diſcutiendum offerri mandavit: a quibus una voce approbatum, ratumque habitum fuit. Confer *Paul. a* STETTEN *ſenioris Hiſtorie von Augſpurg, T. I. p.* 510. 511. & *Chriſtian.* GRYPHIUM *de Scriptor. Sæcul. XVI. Hiſtor. illuſtrant. p.* 118. Vide inferius in *Othone* TRUCHSESSIO *Sect. III. n. XIX.*

(*) Libellus iſte per omnes Columnarum titulos (ut artis vocabulo utar: *Columnen - Titel*) ſic inſcribitur: *Des Cardinals Otho Proteſtation*, & latine etiam prodiit anno ac loco, quo ſupra.

SS. Vitalis & Martini terræ mandatum eſt (*p*).

Memoriæ *Noſtri*, in feram poſteritatem conſervandæ, cauſſa duo *Epitaphia* poſita fuiſſe invenio. *Primum* ſic ſonat:

Petrus eram Schaumberg *quondam de ſtirpe creatus*,
Pilea rubra tuli, quæ mihi Roma dedit.
Cardineos titulos ſancti Vitalis habebam:
Vindelicam rexi Præſul hic Eccleſiam.
Quadraginta quinque illic præſedimus annis,
Cardineos titulos geſſimus octodecim (*q*).

Secundum affert KHAMMIUS (*r*) in hæc verba germanice perſcriptum:

Der Roemiſchen Kirchen Cardinal
War ich genennet uberal:
Darzu zu Augſpurg Biſchoff;
Zudem kam ich in Paebſtlichen Hof, Und

(*p*) V. KHAMMIUM in *Hierarch. Auguſt. P. I. cath.* p. 284. 285.

(*q*) Ex BRUSCHIO referunt hanc ſepulchralem Inſcriptionem, quotquot de *Petro* noſtro ſcripſerunt, etiam AUBERYUS, qui eandem ut veritati hiſtoricæ repugnantem rejicit, ſed male. Fuit *Noſter* anno 1439. aſſumptus ad cardinalitiam dignitatem, ſed quia ea publice gloriari ob allatam ſuperius, in *Vita*, cauſſam omiſit, & galerum cardinalitium primum anno 1450. ſuſcepit, ideo ab hoc anno bene computantur tantum anni *octodecim*. Ex his corrigendus etiam CIACONIUS, qui AUBERYO conſentire videtur. Idem CIACONIUS addit: Epitaphium, de quo hic ſermo eſt, ab hæreticis fuiſſe dirutum poſtea. Sed fallitur; nam adhuc reperitur incolume, una cum Epitaphio *germanico* ſupra allato in Sacello *SS. Vitalis & Martini*; quod primitus a *S. Victore*; deinde a mox dictis *SS. Vitali & Martino* nomen traxit; nunc autem a *S. Auguſtino* nomen habet. Præterea KHAMMIUS *l. c.* bene monet, in memorato *Epitaphio* latino non computari *tres* annos illos, quibus *Petrus*, jam Epiſcopus *Auguſtanus* deſignatus, *Romæ* adhuc manſit.

(*r*) In *Hierarch. Auguſt. T. I. cath. p.* 286.

Und regieret funff und vierzig Jahr,
Darzu im ſechſten; das iſt wahr.
Herr von Schaumberg hieß ich,
Gott Herr erbarm dich uber mich.
Gebohren aus dem Land in Francken,
Der fur mein Seel bitt, dem wol Gott dancken.

Adiit *Petrus* epiſcopatum anno 1421. rexit annis 48. *Vir doctiſſimus, prudentia & eloquentia ſingulari* (*s*): *Vir litteratiſſimus, eximie doctus, prudentia & eloquentia nemini ſecundus* (*t*): *erga pauperes liberaliſſimus: Vir doctiſſimus, prudentia & eloquentia valens* CRUSIO in *Ann. Suev. Dod.* 3. *p.* 347. dictus. Hunc ſequentibus encomiis mactare non dubitavit Scriptor ſynchronus, *Sigiſm.* MAYSTERLINUS in *Chronico eccleſiaſt. Auguſt.* apud PISTORIUM, *T. III. p.* 672. *Vir ſcientia & practica præclarus tantum in Eccleſia Dei pro unione laboravit & ſedatione ſchiſmatis, quod tunc occurrebat, ut... Sub quo Auguſtenſis Eccleſia mirifice rebus & perſonis aucta eſt.* In *Indice* vero *Monaſterii SS. Udalrici & Afræ MSSto.* de *Noſtro* ait: *Qui excellentis ſcientiæ, ac Practicus in omni occurrenti negotio, in brevi Ambaſciator imperialis in arduis cauſſis Eccleſiæ ac Imperii, ac Schiſmatis inter Concilium Baſileenſe ac Sedem apoſtolicam fideliſſimus extitit... Joannem de Werdenberg ... poſt fata epiſcopum reliquit. Sub quibus duobus præclaris ac almis Præſulibus Eccleſia Auguſtenſis tam rebus, quam fama celebris effecta eſt.* Et

(*s*) Hoc elogio ornat *Noſtrum* STENGELIUS in *Comment. Rerum Auguſt. p.* 233.

(*t*) Ita teſtatur CIACONIUS, & KHAMMIUS *ll. cc.* Videri de *Noſtro* inſuper poterunt SPONDANUS, AUBERYUS, PANVINIUS, CONTELORIUS, *Ger. de* ROO, UGHELLUS in *Addit. ad Ciacon.* &c.

Et rurſus in *Chronograph. Auguſtenſ. MSSta.* ſub finem: *Martinus deſtinavit ad epiſcopatum venerandum virum dignumque epiſcopio Petrum de* SCHAUMBURG; *qui tamen magno cum labore anteceſſorem ſuum amovens, ac pacem quietemque procurans fluctuantem naviculam Auguſtenſis Eccleſiæ quietavit; de cujus præcelſis virtutibus, glorioſisque geſtis, quantaque fidelitate Romanæ Sedi adhæſerit, quantosque labores pro unitate adierit, quantaque adverſa paſſus ſit . . . non eſt præſentis operis determinare: maxime cum & adhuc in vita ſit; unde adulationis nota vitanda eſt: & mihi non adſint verba ſufficientia, ea ad dignum laudibus proſequi, quæ merito altum ingenium, ciceronicam linguam requirunt; quamvis ego æſtimem, nec balbutienti deſutura verba, ubi tanta ſit materia dicendi.* MAYSTERLINO concinit *Sigismusdus* GOSSENBROT Patritius *Auguſtanus*, civium Magiſter, qui in Dedicatoria, qua dictum MAYSTERLINI opus *Petro* noſtro obtulit, in hæc eum verba alloquitur: *Largitor gratiarum, a quo bona cuncta procedunt, videtur, veſtræ Dominationi ſoli gratiarum & ſcientiarum dona contuliſſe; cujus rei indicium præſtat in liberalibus ſcientiis, in eccleſiaſticis & legalibus practicis, in divinis & moralibus exercitiis ingenium eximium. Unde cum veſtra Perſona reverenda in omni ſancta magnitudine & profunditate ingenii cunctos præcellat mortales &c.* Et inferius ait: *Supplico, ut præſens Opus accipiat placida mente, & eidem favori, quem exhibere ſemper ſolet Litteratis, Fratrem Religioſum commendatum habere velit.*

A *Noſtro* extant ſequentia doctrinæ & paſtoralis ſollicitudinis monumenta:

I. *Epiſtola ad Chriſtannum Abbatem Mellicenſem*, quem rogavit, ut de ſuis quosdam fratres mitteret, qui regularem diſciplinam, in Monaſterio SS. U-

dalrici & Afræ *Auguſtæ*, ſuo exemplo ſuſtentarent, data in craſtino Epiphaniæ, anni 1441. Hanc exhibuit in *Bibliotheca aſcetica*, *T. VIII. p.* 641. doctiſſimus *P. Bernardus* PEZ.

II. Litteræ feudales in favorem *Gaudentii a Rechberg* de quibusdam Feudis in *Unter - Roth*, datæ anno 1447. 1. Junii. Habes illas *germanice* in LUNIG *Part. ſpecial. Contin. III. Abſ. I. p.* 248.

III. *Litteræ* ſcriptæ anno 1448. XVIIII. Kal. Decembr. *in cauſſa Decimarum*, in favorem Monaſterii *Benedictoburani*, quas luci dedit *Carol.* MEICHELBECK in *Chronico Benedictobur. p.* 181.

IIII. *Litteræ Indulgentiarum* Eccleſiæ *Brenzianæ* anno 1451. conceſſarum, ex autographo publicatæ a *J. Georg.* SCHELHORNIO (*u*).

V. *Synodus Auguſtana*, quam is in cathedrali Eccleſia indixit: & quam ex *MSSto.* Bibliothecæ ejusdem Eccleſiæ in lucem produxit RRmus. *Joſ. Anton.* STEINER in *Synodico* ſuo *Auguſtano*, *p.* 97. & *ſeqq.*

VI. *Fragmenta*, *noviter detecta*, *ad dictam Synodum* cum *Notis*, dedit idem RRmus. Auctor in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ*, *p.* 20. *ſeqq.*

VII. *Decretum publicarum Comprecationum* (*x*) *in urbe Auguſtana & diœceſi univerſa*, *pro auxilio divino contra Turcas aliasque neceſſitates publicas implorando indictarum*: quod in *Codice MSSto.* Bibliothecæ *San - Udalricanæ*, *Auguſtæ* forte fortuna a me repertum, appono, *Schelhornii* exemplo animatus:

„ *Pe-*

(*u*) In *Amœnit. litter. T. XII. p.* 698.

(*x*) V. KHAMMIUM *l. c. p.* 282.

„ *Petrus miſeratione divina Tituli S. Vitalis ſacro-*
„ *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis &*
„ *Auguſtenſis Epiſcopus.* Univerſis & ſingulis eccle-
„ ſiarum Prælatis, Decanis, Camerariis, & om-
„ nibus Plebanis, Viceplebanis per diœceſin no-
„ ſtram Auguſtenſem conſtitutis, ſalutem in omni-
„ um Salvatore. Etſi omnium Creator Deus om-
„ nipotens recti cenſura judicii cæleſtia pariter --
„ & terrena diſponat, dirigat, & regat; non ta-
„ men in totum ſollicitudinem perimit in terris, ut
„ fideles ſui, a legibus ſuis & via mandatorum ſuo-
„ rum deviantes, per tribulationes & anguſtias
„ ad ſalutis viam revocentur. Hinc ex divinæ Ma-
„ jeſtatis (*ordinatione*) ut formidemus offenſam,
„ cernimus noſtro tempore perfidiſſimos Turcas
„ nominis Chriſti acerrimos hoſtes Eccleſiam Dei
„ turbare, & Chriſti fidelibus injurias, opprobria,
„ flagella, carceres & mortes acerbiſſimas inferre,
„ & ita inſanire, acſi nomen Chriſti delere poſſent
„ de terra. Videmus & fines noſtros diverſis guer-
„ rarum, peſtis, & cariſtiæ turbinibus conquaſſa-
„ ri; propter quod neceſſarium fore perſpeximus,
„ ut cum beato Job in cinere & favilla pœnitentes
„ & Ninivitarum exemplo nos humiliantes, oratio-
„ nibus & jejuniis, & aliis devotionum ſtudiis di-
„ vinam placemus Majeſtatem. Hinc ex ſpeciali
„ mandato Apoſtolico nobis deſuper facto, & con-
„ ſenſu venerabilis Capituli noſtri pro invocatione
„ divini auxilii ſolennes Proceſſiones, cum cele-
„ bratione Miſſarum, & jejuniis per noſtram civi-
„ tatem & diœceſin usque ad noſtram revocatio-
„ nem habendas duximus indicendum, & indici-
„ mus; ita vero ut ſingulis primis diebus cujusli-
„ bet menſis uſualis in parochialibus eccleſiis ſolen-
„ nis Proceſſio cum clero & populo ad aliquam ec-

„ cleſiam devote fiat. Et omnes Chriſti fideles,
„ quos ſenium, juventus, vel infirmitas non excu-
„ ſat, ſub virtute ſanctæ obedientiæ eisdem die-
„ bus jejunent, dum & in ſingulis ſextis feriis
„ ſingularum hebdomadarum per ſingula monaſte-
„ ria, ac omnes eccleſias collegiatas & parochia-
„ les talis fiat Proceſſio, cum decantatione Miſſæ
„ pro pace, qualis alias in diebus feſtivis concinen-
„ do fieri ſolet in eisdem. Quocirca vobis omnibus
„ ſupradictis diſtricte præcipiendo mandamus, qua-
„ tenus præmiſſis veſtris ſubditis publicantes ea om-
„ nia & ſingula, & ſic effectualiter proſequi, per-
„ agere, & continuare ſtudeatis, ſubditos eosdem
„ ſalutaribus monitis exhortantes, ut per ſedulas
„ orationes & debita devotionis opera ſic divi-
„ nam ſtudeant placare Majeſtatem, ut per eam
„ protegatur Eccleſia, ne adverſus illam rugientes
„ prævaleant inimici; contra odioſiſſimos Turcos
„ victoria detur Chriſtianis; & quod ipſorum ſu-
„ perat vires, divina pietate concedatur; ac no-
„ ſtris temporibus & partibus pacis fiat tranquilli-
„ tas, & tempora affluant ubertatis. Nos enim
„ vere pœnitentibus & contritis, qui in primis
„ diebus menſium hujusmodi C. illis vero, qui in
„ ſextis feriis dictis Proceſſionibus & divinis officiis
„ devote interfuerint, XL. dies Indulgentiarum de
„ injunctis eis pænitentiis miſericorditer in Domi-
„ no relaxamus. Datum Auguſtæ, Anno Dni.
„ M.CCCC.LVI. XIII. Kl. Septembris.

VIII. *Orationes duæ*,

una quidem *parænetica* coram *Carolo IX. altera* vero *euchariſtica* coram *Nicolao V.* a *Petro* noſtro habita, quas ambas, ex *MSSto. Codice* (*y*) Bibliothecæ

(y) Codex memoratus chartaceus, corio rubro tectus, ſatis

thecæ cathedralis *Auguſtanæ* a me deſcriptas, tum ad laudem *Noſtri*, tum ob rerum in iis tractatarum & Perſonarum inibi nominatarum dignitatem ſummam ſubjicere integras decrevi.

I.

Oratio facta per D. P. (*) *Epiſcopum* Auguſtenſem, *Excellentiſſimi D. Romanorum Regis Ambaſciatoris in conſpectu Chriſtianiſſimi Domini,* K. (z) *Francorum Regis* 1431. *die* 9. *menſis Auguſti, in Ambayſa.*

Plurimum audaciæ, Chriſtianiſſime Regum! mihi alioquin timido, ut in præſentia tantæ Majeſtatis perorem, tribuit cauſſæ, quam proſequar, favoroſa æquitas; quæ licet adeo gravis extet & ardua: inſitque veſtro ac ampliſſimorum circumſedentium Virorum conſpectibus quædam incomparabilis majeſtas, ut nec rebus nec perſonis parem orationem parare confidam; plus tamen animoſitatis mihi ſuggerit cauſſæ veritas, quam ſit timoris mei non par facultas. In cauſa etenim, quam roborat aperta juſtitia, ſollicitum eſſe de ſermonis ornatu non oportet; quia, nullo comitata verborum cultu, ſola ſibi propitios reddere poteſt auditores. Talis eſt absque dubio, quam agimus; cum in imperiali nobis commiſſa Legatione ſolum ea,quæ laudes & honorem Dei, animarum ſalutem, Majeſtatis quoque ac regni veſtrorum ſalubre incrementum reſpiciunt, quærere intendamus: utputa, ut

ſatis craſſus eſt in *folio* (ut ajunt) habens ſequentem epigraphen: *Sermones*, *Arengæ* (gallice Harangues) *& Orationes collectæ* (ni male auguror, juſſu Noſtri) *in Conſilio* (Concilio) *Baſileenſi generali.*

(*) Lege : *Petrum.*

(z) Puta *Karolum IX.*

pax Deo ac Sanctis grata Chriſtianiſſimo veſtro Francorum regno, quod his noſtris diebus heu! multimodis affligitur guerrarum moleſtiis, cædibus, ſtragibus & ærumnis, effectualiter reſtituatur, atque Chriſtiani ſanguinis abominanda effuſio ſalubrius evitetur; quod (ut arbitror) nemo recollectæ mentis cordis ſui ab intimis ſincerius non exoptat. Neminem enim Chriſti Fidelium tam ferreum eſſe puto, qui . . . calamitates jam dictum veſtrum Franciæ regnum, quod poſt ſacrum Romanum Imperium cæteris mundi regnis & celebrius & eminentius eſt, affligentes nedum cernens, verum & aliorum relatu percipiens, ſine pio compaſſionis affectu æquanimiter ferre poſſit. Nec quemquam tam durum eſſe opinor, qui audiens planctus & ſuſpiria, quæ paſſim toto in hoc regno pervagari dicuntur, cum amaris ſingultibus in lacrimarum profluvios non prorumpat. Quippe tam grandes ſunt contumeliæ, afficientes inclytum hoc regnum, ut nemo, quantacunque ampla præditus ſit facundia, aut potenti ſuffultus fuerit eloquentia, exiſtimet ſe verborum terminis eorum atrocitatem poſſe perſtringere, complectereve oratione. Hinc enim fame cruciati incolæ: inde trucidati paſſim cadunt: alii hoſtium ſpiculis & ſagittis: alii gladiis, telis & machinis confodiuntur & mactantur, & diebus ac noctibus inceſſanter; ita ut deſint tumuli morientibus. Quin imo, ut eſt apud *Nahum* prophetam, nec eſt finis cadaverum, & (ut ad unum dicam) in ipſo regno nil aliud tam accurate agi videtur, niſi ut condiantur ſepulchro funera; ac hominum corpora, veluti ferocium beſtiarum, cum Chriſtiani ſanguinis horrenda effuſione, crudelius proſternantur. Quis namque, quod ait *Virgilius*:

Funera

. . . . *Funera fando*
Explicet, aut poſſit lacrimis æquare dolores.

Heu! quot nobiliſſimi ſanguinis illuſtres principes; quot claros litteris; quot armis ſtrenuos; quotque inſignes experientia rerum & prudentia præſtantiſſimos incolas; quot etiam,& quantas opes & divitias, nobile regnum! diceris amiſiſſe. Pro certo namque creditur, quod homines, qui, in hac ſæviſſima clade, crudeli nece occubuere; divitiæque & opes, his nefariis & deteſtandis diſcidiis hinc inde diſpendioſe & prodigaliter impenſæ, nedum pro recuperatione aut evictione Terræ ſanctæ, ſed & pro extirpatione ſeu exterminatione quarumcunque hæreſum, ſanctam matrem Eccleſiam undecunque calcantium, ſufficere potuiſſent: immo plures armis ſtrenui & bellicoſi viri, dictarum ærumnarum occaſione, periiſſe famantur, quam hodie toto in hoc regno vigeant in humanis. O duram & diram ſublimis regni ſortem! Quo abiit illa ſecunda tua fortuna, qua ſupra circumadjacentia regna affluebas? Quæ tua tot demerita, ut & ipſi Superi & Inferi in tuam perniciem conjuraſſe videantur? Et jam intra te nichil vel paucum lætum, ſed moeſta pene omnia. Intus (*a*) enim fames, diſcordiarum jactura & lues ſæva; extant ut plurimum undique hoſtes, nec erit dare revera (ut æſtimo) qui, ex his malis & anguſtiis, huic regno inclyto benigne condolendo, ut dura ſilex, minime moveatur. Sed eſt, quod fortius angit, quia multa animarum millia ad inferos præcipitari veriſimiliter, ac periclitari timentur. Quando ſiquidem anima pretioſior eſt corpore, tanto doloroſius lamentari ejus interitum

C 5 decens

(*a*) In margine adſcriptum legitur: *Intus pavor, foris vaſtatio.*

decens erit. Nam *S. Dionyſius* hujus inclyti Francorum regni patronus, pro præſentibus malis ab hoc ſuo regno auferendis ad beatiſſimam Virginem ſemper Mariam orans, in *Revelationibus B. Birgittæ*, divinarum viſionum relatricis fideliſſimæ, dixiſſe legitur: *Animæ omni hora periclitantur & deſcendunt quaſi nix in infernum.* Sancti quoque & Electi Dei non mortuorum corpora, non damna rerum, non paupertatem, ſed animarum caſum deploraſſe inveniuntur ibidem. Quemadmodum hæc etiam teſtificata eſt (ut ſimiliter in eisdem *Revelationibus* reperitur) & ipſa glorioſa Dei Genitrix, Virgo ſemper Maria, dum pariter cum prædicto S. Dionyſio pro ablatione præſentium malorum ab hoc etiam ſuo regno ad benedictum ejus Filium oraret, dicens: *Vox eſt Electorum tuorum, qui clamant dicentes: Non ploramus mortuorum corpora non dampna rerum, non paupertatem, ſed animarum caſum, quæ periclitantur quotidie;* inferens propterea: *O Fili mi! miſerere eis.* Sed quæ ullæ lacrimæ tantis doloribus ſufficere poſſent. O miſericordiarum Domine! ſumme Deus! parce populo quondam tuo, nunc neſcio quibus culpis tua miſericordia deſtituto, & confeſtim ſuccurre, ne ſit gentibus in infamiam ſempiternam, quæ cenſeant in eos iram tuam propter irremiſſibiles iniquitates tam immiſericorditer deſæviſſe. Hæc etiam adverte hujus Chriſtianiſſimi Francorum regni patrone, *Dionyſi* Martyr; vosque quamplurimi alii Sancti & Sanctæ Dei, quorum ſacrata corpora hoc requieſcunt in regno! Conſiderate veſtra templa, veſtras aras defendite, atque intercedite penes Deum, ne gens veſtra tota pereat; ne fruſtra fuerint orationes eorum; ne caſſæ ſint ſupplicationes, quas ad vos hactenus effudere; neve deſerta fiant, aut pro-

phanen-

phanentur ſacra loca, in quibus & ab ipſis & ab exteris ſumma cum devotione colimini. Quod ſi gentem veſtram ob aliqua forſan teterrima peccata deſeruiſtis, aliquibus ſaltem indiciis efficite eos non inſcios culparum ſuarum, ut poſſint & ex dolore peccatorum veniam, & ſatisfactione divinam conſequi miſericordiam. Delicta eorum onde (*b*) eis Domine, & averte iram tuæ indignationis ab eis! Et ſi univerſi Chriſtianæ Religionis cultores huic regno Chriſtianiſſimo, diverſis heu! contumeliis affecto, non immerito compati debebunt, Excellentiſſimus tamen Princeps & Dominus noſter ſupremus Dominus S. (*c*) Dei clementia Romanorum Rex ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex invictiſſimus, Dominus noſter glorioſiſſimus ac ſemper metuendus, quanto præ cunctis totius orbis poteſtatibus, tanquam mundi Monarcha, univerſæ Reipublicæ felicem expeditionem ſeu directionem ſollicitius gubernando ſuſcepit, tanto amplius regio ſuo in animo de hujusmodi turbinibus acerbiori concutitur mæſtitia, & dolore; maxime quod ſanctam matrem Eccleſiam, ſacrumque Romanum Imperium, quæ proh dolor! in hac noſtrorum fœce temporum variis infidelium & hæreticorum infeſtatur inſultibus, carere perpendit multiplicibus auxiliis, & favorabilibus aſſiſtentiis, quibus hactenus per hoc inclytum regnum fructuoſius confoveri ſolebant. Quantum nempe ſacra Chriſtiana Religio, ſanctaque orthodoxa Catholica fides per hujus nobiliſſimi regni Chriſtianiſſimos Reges & incolas auctæ ſint, quantumve ſacrum Romanum Imperium, ac uni-

(*b*) *Oſtende*, puto legendum.

(*c*) Lege *Sigismundus*.

univerſalis Reſpublica per eos felicia ſuſceperint incrementa, nemo legens veterum geſta ignorat. At quam uberem & latam prædictæ diſſidentiæ Turcis ac Saracenis, perfidum Machometum colentibus, aliiſque Infidelibus præbeant exultandi materiam, penſare poterint ratione utentes. Profecto maxima ac manifeſta & nimia dici poſſet agitari inſania, qui auſu temerario ſuſpicari præſummeret, Imperialis Celſitudinis clementiam antedictis malis & anguſtiis ſincera mente compati non debere; præſertim dum recolit tot illuſtres Principes, tot magnificos ac nobiles Viros, multis virtutibus ac armorum ſtrenuitate conſpicuos, in ore trucidantis ac ſævientis gladii miſerabiliter, ut ita dixerim, interiiſſe: quorum quidam ſibi ſanguinis linea juncti, alii vero fidelitatis homagio extiterant vinculati; quæ (nulli dubium) regiis præcordiis aculeos dolorum accumulant pariter & augmentant. Ut autem hoc lugubre ſpectaculum aliquando de medio tolli poſſit, incolæque hujus nobiliſſimi regni adhuc ſuperſtites votiva valetudine incolumes conſerventur, & juxta *Salomonis* parabolam absque terrore requieſcant abundantia perfruentes, terrore malorum ſublato, atque Chriſtiani ſanguinis horrenda effuſio evitetur, paxque Deo & Sanctis grata, cunctiſque mortalibus apta regno reddatur, in ipſoque ſalus abundantius procuretur; ante dictus Sereniſſimus Dominus noſter, Romanorum &c. Rex glorioſiſſimus ſatagat poſſetenus, veſtra cum Serenitate conſentiente, non parcendo laboribus utcunque gravibus & expenſis. Regia namque ſua Majeſtas ſummis gerit in deſideriis, quatenus Mediator Dei & hominum, a ſummo cælorum qui venit ponere pacem in finibus terræ, cum ſalute votiva ſtabiliat in pacis pulchritudi-

tudine thronum veſtrum; de qua quidem pacis materia nonnulla de regiæ ſuæ mentis intentione veſtræ Celſitudini ad partem , vel in publico (ſicut, & dum veſtra maluerit Excellentia) ſeriatim referemus. Fuit nihilominus & iter noſtrum aliquanto tardius; quum , quæ in via nobis evenere , tempore noſtri exitus, ut acciderent, minime ſperabamus. Unde veſtræ inclytæ pietatis erit, voluntatis noſtræ promptitudinem ſpectare, atque nos, quos caſus tardare compulit, feſtinare animis exiſtimare. Plura dicere poſſem, quæ ſilebo, ne longior ſim. Si tamen adjecero, non inaniter dictum exiſtimari velim , quod plurimum fiduciæ tribuit Romanorum regiæ Dignitatis ſacratiſſimæ Majeſtati nedum cauſæ ſanctæ & juſtæ, quam agitat, favoroſa (ut præmiſi) æquitas; quin etiam, quia meminit concertantes vos hinc inde Principes clariſſimos arctiſſimis ſanguinis vinculis alterutrum exiſtere colligatos : cum glorioſiſſimus Rex *Angliæ* veſtra ſit ex illuſtriſſima ac nobiliſſima ſorore germana regaliter genitus, perilluſtriſque ac inclytus *Burgundorum* &c. Dux veſtra præclariſſima ex regia ſtirpe extet nobiliter procreatus ; quod & Veſtram Chriſtianiſſimam pariter & ipſorum piiſſimas Clementias ad pacis & tranquillitatis ſtudia debebit non immerito commovere.

Præterea, Regum Chriſtianiſſime! clariſſimus & ſupremus Dominus noſter Dominus Romanorum &c. Rex incunctanter ſuo tenet in animo,quod quotiens de ſtatu ſuo felici ſalubria audieritis , veſtræ Majeſtati jucundius cedat ad votum. Ipſe namque , qui emiſſionem Noſtri, illo procurante, per quem reges regnant , proſperis abundavit ſucceſſibus, ſumme deſiderat, ut regiæ veſtræ Excellentiæ, tanquam fratri ſibi cariſſimo, cum gau-

dio

dio floreat tranquillitas atque ſalus. Et has litteras ut veſtræ Celſitudini præſentaremus, Nobis ſuis, quos in præſentiarum cernitis, Oratoribus idem Dominus noſter mandavit, quas placeat gratanter ſuſcipere, & ipſis viſis nobis benignum præbere auditum, & perceptis referendis vos exhibere taliter, uti deſiderat, ac indubie confidit Excellentiſſimus Imperialis.

Recitata per P. epiſcopum Auguſtenſem, poſtea in S. R. E. presbyterum Cardinalem T. T. S. Vitalis aſſumptum &c. & recitatio facta fuit anno die & coram, ut .. in principio (*d*)

II.

Oratio eucharistica, habita a Petro *Epiſcop. Auguſtano coram Pontifice Nicolao V.*

Etſi Beatitudinis veſtræ humaniſſima manſuetudo, Patrum clementiſſime! mihi alioquin timido maximam præſtet dicendi fiduciam; ſi tamen ineptias meas coram tanta Majeſtate, & in conſpectu tam ampliſſimi Cœtus in medium conferre formidavero, nemo erit (ut reor) qui rationabiliter cauſari debebit. Non enim mediocri audacia quempiam duci cenſeo, qui eloquentiæ fonte non inebriatus, ut ego, præſente tam ſpectatiſſimo atque celeberrimo Conventu ſatagit perorare. Profecto niſi Veſtræ Beatitudinis pariter & piiſſimæ Manſuetudinis benigniſſima clementia animum tribueret, prudentiſſimam quoque Pietatem veſtram Alamannorum mores, qui plerumque inepti ſunt, præſertim eorum, quos alia, quæ & me genuit Alamannia, expertam fuiſſe plane cognoſcerem, vere-

(*d*) Hæc verba aliena manus adſcripſit.

vererer certe nimium verbum reſonare. Sed quia juxta ritum a priſcis Patribus, & jam diu roboratum & legitime introductum, loquendum eſt; ſi idipſum breviter fecero, non diſpliceat, precor, Beatitudini Veſtræ. Morem namque geram his, qui præſentem usque ad ætatem me ab annis teneris educaverunt, accurate ſervans pro regula, quod apud metriſtam eſt:

Si potatores lætantur bonitate Falerni,
Sic & Dictatores gaudent brevitate moderni.

Memini etiam, clementiſſime Domine! quod herus quondam meus, divus ille *Sigismundus*, Romanorum Imperator, atque Cæſar ſacratiſſimus (eſto quod ipſe, ut facundus, ſermone interdum efflueret) ſuccincte dicta plurimum laudavit, voluitque a me & aliis ſuæ Majeſtatis ſervitoribus coram eo fanda multo compendio dici. Hinc certe autem, fucate dicendi expers, brevis ero, ſpem figens in Beatitudinis Veſtræ benigniſſima clementia, cujus eſt promptitudinem animi ſpectare, & me, ac ſi ornate diſerteve dixerim, acceptatione veſtra dignum efficere, ut cum viro juſto *Tobia* gloriare poſſim, quod ſicut ei in conſpectu *Salmanazar* Regis, ſicut ſcriptum eſt, *Deus gratiam dedit*, ita & mihi coram Veſtra Beatitudine is, cujus vices in terris gerit, poli ſolique Dominus gratam acceptationem fuerit elargitus. Quam Beatitudinem Veſtram facile tribuiſſe confidam; quia omni benignitate, modeſtia, manſuetudine, & (ut ad unum dicam) cunctarum virtutum ſacra pietate vos conſpicuum orbis prædicat univerſus. Tantæ enimvero per mundum divulgatæ ſunt, ut eas non ſolum non digne loqui, immo nec ſufficienter ſtupere quisquam poſſit. In harum etiam virtutum veſtrarum præeminen-

minenti excellentia nil admirabilius veſtra incredibili humanitate ; quantum enim faſtigii celſitudo Vos ſupra homines, tantum intra homines collocat animi manſuetudo ; cujus ſiquidem manſuetudinis ceterarumque virtutum veſtrarum amplitudinem nemo (quantacunque ampla præditus ſit facundia, aut potenti ſuffultus fuerit eloquentia) exiſtimet ſe, verborum terminis poſſe perſtringere, compleċtereve oratione ; nec ego quidem loquacitate mea, ut ita dixerim, idipſum efficere me poſſe confido. Unde ſilebo, ne adulari videar, & ſim longior, qui paulo ante brevitatem ſpopondi. Et beatus *Jeronymus* dicit : *brevitati ſtudens plura dicere non debet.* Si tamen adjecero & de beneficiis, quas reſidentes in ſancta apoſtolica ſede mihi (ut verbis *B. Bernhardi* utar) homuncioni, meis forſan decepti famulationibus, nunc conferre dignati ſunt, parum ediſſerero, & ſi non quas teneor, tamen qualescunque, & utcunque poſſum, gratiarum actiones reddidero, ab re exiſtimari non velim, ne ingratitudinis vitio noter. Juxta enim *Breviloquii virtutum* ſententiam, ingratus eſt, qui negat ſe accepiſſe beneficium : ingratus, qui diſſimulat : ingratus, qui non reddit : ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Et quanquam ſingula mihi beneficia enumerare particulariter, eloquentiæ meæ non ſit par facultas, inſtitui tamen hoc in loco, de multitudine exhibitorum pauca breviter commemorare. Etenim licet ſinguli ſanctiſſimi Patres, qui ævo meo in ſancta apoſtolica Sede reſedere, maxime poſtquam Deo inſpirante clericali militiæ adſcribi deſideraveram, multimodis beneficiorum gratiis me foverint ; tamen ſanctæ recordationis Dominus *Martinus*, digna Dei providentia *Papa quintus*, ex illuſtri proſapia inclytæ domus *de Columpna* progenitus,

tus, poſt Deum peculiariſſimus creator meus præcipua quadam humanitate & beneficentia proſequi me dignatus fuit; nam *Scutiferorum honoris* me primo, & paulo poſt *Cubiculariorum* ſuorum numero gratuite aggregavit: in plerisque nihil minus metropoliticis ſucceſſive, ſimul & inſignibus cathedralibus Eccleſiis uberrimis Beneficiorum titulis inſignivit, & ad ultimum, licet immeritum & non ſatis utilem, ſanctæ *Auguſtenſis* Eccleſiæ Antiſtitem miſericorditer præfecit, plures mihi prærogativarum gratias exhibendo pro ſalubriori, atque feliciori Eccleſiæ jam dictæ gubernatione; quo e medio rapto, & ab hujus ſæculi ærumnis erepto, atque eo cælis digno, & illuc, ubi pro ſuis orat, translato ſanctiſſimus ille b. m. Dominus *Eugenius Papa*, Veſtræ Beatitudinis immediatus prædeceſſor, longe altioris & eminentioris imo talis, cui in Dei Eccleſia poſt ſummi Apoſtolatus apicem celſior non eſt, dignitatis me titulo decoravit, atque ſublimavit; qui me (quamvis per me, aut interpoſitas perſonas nullo unquam tempore quæſierim, aut petierim) *S. R. E. Cardinalem* creare atque nominare miſericorditer dignatus fuit. Quam ſi quidem ſic mihi miſericorditer factam gratiam etſi aliquantiſper publice acceptare diſtulerim, non contemptûs aut inobedientiæ alicujus illegitima cauſſâ, ſed bonis ac juſtis reſpectibus actum fuiſſe exiſtimari quæſo. Grandi ſane & incomparabili nimirum dici poſſet, agitari inſania, qui rem tam precioſam, tamque præcelſam, nulla penitus ſollicitudinis aut petitionis inſtantia præcedente, ſed ſola mera dantis liberalitate ſponte oblatam, ſpretui haberet. Abſit a me, rem talis modi vel leviter cogitare; & (ut breviter complectar) quatenus rebus pro eccleſiaſticarum libertatum conſervatione

gerendis,& potiſſime ſanctæ apoſtolicæ Sedis,liberius intendere poſſem, dilatio habita eſt. Nullo etenim pacto, ut Cardinalis, conſiliis tractatibusve Principum Alamanniæ, vigente animorum eorum ſuſpenſione, admiſſus aſſuiſſem: Ubi tamen aliunde (utinam tam utiliter, quam fideliter) juxta meæ parvitatis modulum pro rerum gerendarum, quod potui, contuli commoditate. Si quid errore deſidii aut negligentiæ iſthic commiſſum fuit, humiliter peto veniam, ut veſtra Clementia misericorditer ignoſcat. Quæ autem, qualia, quantave beneficiorum gratuita ego cum meis a Veſtra ſanctiſſima ſuſceperim Clementia, quia etiam nulla me confido poſſe perſtringere facundia; ideo ne meà imperitià Beatitudini veſtræ maximis negotiis implicitæ tædio ſim, ad unum breviſſime cum Apoſtolo dico: *Gratia Dei ſum, id quod ſum;* adjiciam: *& ſanctæ apoſtolicæ Sedis*, reſidentiumque in ea mera & maxima liberalitate: pro quibus equidem, diviſim conjunctimve, quia condignas grates aliquatenus fundere nequeo, eum, cujus locum in terris tenetis, humili prece depoſco, vices rependere dignare, quem & pro ſalute veſtra ac ſalubri ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quoad vixero, devotius exorabo. De maxima denique virtutum Sanctitatis Veſtræ excellentia confiſus ego iſtuc accedere auſus ſum, ut me pariter & ſanctam Eccleſiam veſtram *Auguſtenſem*, mihi commiſſam, univerſum ſtatum & fortunas meas veſtræ commendarem atque ſubjicerem clementiſſimæ Sanctitati. Sic enim exiſtimo, meipſum meis, & meos mihiipſi, eccleſiam, ſtatum, & reliqua mea omnia mihi, & meis ſalva eſſe. Sed nec Superis faventibus mea me fallet opinio; quoniam veſtræ Beatitudini natura dedit manſuetudinem, unde velit: & fortuna dedit

dit

dit amplitudinem, unde poſſit tutari ſibi commendatos. Itaque cum humaniſſimæ Veſtræ manſuetudinis proprium ſit, neminem, quamvis non ſibi notum, quamvis extraneum, abs ſe votorum ſuorum vacuum dimittere: Vos ergo, qui miſericordiarum Dominum in terris præſentatis, pro veſtra ſumma clementia agere (quæſo) dignemini, ut mea non modo Vobis extranei, ſed cum meis Sanctitati veſtræ commiſſi, ſpes ampliſſima beneficiorum veſtrorum magnitudine ſuperetur. Rurſus ſi (ut Philoſophi tradunt) amor verus quo vetuſtior, eo firmior; profecto cenſere dignetur Sanctitas veſtra, meos zelum & amorem, conſtantiſſimos ad Sanctam Apoſtolicam Sedem, atque rite & legitime ſedentem in ea. Diu namque in hoc perſeveravi, & ſæpenumero modos aptos quæſivi, ut me perſonaliter cum meis omnibus committerem atque ſubjicerem veſtræ clementiſſimæ Sanctitati; ſed adverſæ fortunæ eventus, quod concupivi, usque adhuc perficere non ſinebat. Quamvis ergo non celerius, ut optaſſem, ſed modo, ut Deo placuit, res hæc conſummationem accepit, æquitatis veſtræ erit, diuturnitatem inchoationis non meæ voluntati, ſed & novitatem executionis rerum difficultati attribuere; nam ſecundum leges & canonicas & civiles inſtruimur, ut non eventum, ſed animum: non effectum, ſed affectum: non caſum, ſed propoſitum intueamur. Mentem itaque meam ſpectare, deſiderium conſiderare, reſpicere voluntatem, fidem ſuſcipere, attendere promptitudinem, & preces admittere miſericorditer dignetur Beatitudo veſtra! Poſtremo me & hanc meam exiguam perſonam, &, quidquid in me eſt, virium, offero ad ejusdem Beatitudinis præcepta pariter & mandata, ſi, ubi, quando, quotiens, coram

D 2 qui-

quibus, & apud quoscunque optimum judicabit, & mihi jubere dignabitur Sanctitas veſtra. Utamini ergo (ſi placet) ſervitio meo, arbitratu veſtro, pariter & me ipſo etiam ipſam mortem non recuſaturo pro honore ſanctæ Apoſtolicæ Sedis, atque Sanctitatis veſtræ, quibus ut, juxta ... deſiderium bonum, cuncta proſpere ſuccedant, favere dignetur Deus in ſæcula benedictus! Amen.

Jam & mihi non expedit orare, ut mei commendationem cordi habeat, ſed præ cunctis mundi rebus cogitatibusve convenit, Beatitudini veſtræ gratias agere; quod ſacro cætui reverendiſſimorum in Chriſto Patrum, & Dominorum meorum metuendiſſimorum S.R.E. Cardinalium adſcriptus; quod in veſtræ Sanctitatis clementiam admiſſus, ac ejusdem clementiæ gratiam & favorem (ut fiducia mihi ſumma eſt) aſſecutus ſum. At cum pro magnitudine tanti beneficii gratiarum actio non modo non referri, imo nec haberi digna poſſit, humanitatis & pietatis Veſtræ ſit, loco gratiarum, quas debeo, acceptare, quas poſſum: & loco retributionis, profeſſionem recognitionis; & loco mercedis, gratitudinem; mentis quoque meæ puritatem, fidem, devotionem, integritatem, conſtantiam, rectitudinem, ſuper omnia certum ad ſanctam Apoſtolicam Sedem, atque Sanctitatem veſtram indubitatum affectum ponderare.

STADION (*Chriſtophorus* a) Epiſcop. Auguſtan.

Unus ex poſteris *Eitelii a* STADION (*a*) extitit *Chriſtophorus* noſter, *cujus prima, media & ultima vitæ ætas divinis reſplenduit virtutibus.* In hanc lucem

(*a*) Vide HENNINGES *Opus genealog. T. I. p.* 493. *Allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Baſel. T. VI.*

cem anno 1478. editus, mox ubi per ætatem licuit, diſciplinis liberalibus, maxime eccleſiaſticis, quibus plurimum delectabatur, excultus eſt, & juvenis in *Tubingenſi*, eo tempore maxime florenti Academia humanioribus ſcientiis ac Juri ferventem operam dedit, ſummam jam tum vitæ puritatem ac ſanctimoniam cum ſtudiis jungens. Poſtmodum *Bononiam*, magnam illam doctrinarum altricem miſſus, ſex ibidem annis ita continuo Juris ſtudio, quo libris quaſi affixus apparebat, profecit, ut inter præcipuos & doctiſſimos ex Germanis, tum *Bononiæ* degentibus Juriſconſultis communi omnium ore celebraretur: quod & laborum ſtudiorumque ſuorum fructu, *Doctoratus* nimirum laurea, quam eodem in loco poſtmodum conſecutus eſt, teſtatum fecit (*). Quamobrem etiam a *Jo.* ECKIO (**) inter *Nobiles doctrina illuſtres* locum merito jure obtinuit. Reverſus ad ſuos, ab illius temporis Epiſcopo Auguſtano, *Henrico a* LICHTENAU in numerum *Conſiliariorum* adoptatus, & mox ab omnibus ob virtutum ac puriſſimæ vitæ eminentiam obſervatus, magnique factus eſt.

Ubi ad militiam eccleſiaſticam nomen dederat, eundem cito, anno videlicet 1507. inter Canonicos cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ*, quæ tum pluribus virtute, doctrina, conſilio, auctoritate ſpectatiſſimis Viris: *Marquardo a* STEIN, *Philippo a* RECHBERG, *Caſpare a* KALTENTHAL, *Conrado* ADELMANN (***) *Jacobo* HEINRICHMANNO (****)

(*) V. KHELLNERI *Vitam Wolf. Andr. Rhemii.* in 4to.

(**) V. Ejus *Orationem de Nobilitate litteris exornanda.* 1515. *Auguſtæ.*

(***) Hujus vitam dedi in præſentis *Bibliothecæ* meæ *Alphabeto II.*

(****) De hoc egi in dictæ *Bibliothecæ Alphabeto I.*

& aliis florebat, adlectum fuiſſe repperio (*b*) Paulo poſt *Officialis* deſignatus, cum a *Ratisbonenſi* tum temporis Præpoſito lis *Auguſtanæ* Eccleſiæ *Romæ* mota eſſet, *Capituli* nomine miſſus, ſibi commiſſa feliciſſime expedivit. In eadem Eccleſia anno 1515. etiam *Decani* dignitate fulſit, in album Conſiliariorum Cæſaris, itemque Cardinalis & Epiſcopi *Gurcenſis Matthæi* LANGII, adſcriptus. Præterea Præceſſoris ſui epiſcopi *Henrici a* LICHTENAU (*c*) per aliquod temporis ſpatium *Coadjutor* fuit: quo ipſo fatis ſupremis perfuncto, *Noſter* anno 1517. die 14. Maji, totius ſummi Collegii votis concorditer ſuffragantibus, ad epiſcopalem cathedram pervenit (*d*) incredibili ab omnibus applauſu exceptus. In dictorum confirmationem unus omnium loco teſtis prodeat *Joann.* ALTENSTAIGIUS, qui in *Dedicatione Vocabularii* ſui *theologici* ſic *Noſtrum* alloquitur: *Quod in navarcho illo præclaro* (Henrico) *amiſimus, in te nauclero optimo affatim reperimus. Quare neſcio, quid & aliis conchriſtianis Auguſtenſis diæceſis contingere potuiſſet gratius & optatius, quam quod divina providentia, qua omnia gubernantur; tuam Amplitudinem, totius Eccleſiæ præfectum, didicerim: jamque tandem privatim eruditis, omnibusque viris optimis, tuo fauſto ac felici ductu, pulcherrime conſultum & ad rem & dignitatem animadverto; nam generis claritudine, vel potius ſola ingenii virtute, præſtantia, atque doctrina incomparabili, & jurisprudentia ſingulari ad epiſcopatum te ſublatum, qui dubitat,*

(*b*) KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 613.

(*c*) De *Henrico* ſuperius pauca dixi, *pag.* 27.

(*d*) KHAMMIUS *l. c. p.* 310. & alii. Hinc plane contemnenda judico, quæ *Bernard.* ADELMANN de *Noſtri* electione inepte garrit, apud HEUMANNUM in *Documentis litterariis*, *p.* 161.

bitat, puto eſſe neminem. Sed quid memorem generis nobilitatem . . . quæ laudis rationem magnam non habet, niſi accedat animi nobilitas . . . qua tuam Dignitatem ornatam liquido . . cognovi, & tua opera honeſtiſſima, omnibus nota, perſpicuum faciunt? Quid dicam de jurisprudentia & ſtudio Legum ac Canonum, cujus utriusque inſignibus es ornatiſſime decoratus? . . Quid memorem de tua præſtabili memoria, qua te vigere cognovi: qua omnia conſervamus, quæ diſcimus . . . & quæ jure eloquentiæ theſaurus dicitur? Omitto alia ingenii bona, quibus niteſcis, juſtitiam ſcilicet & benignitatem: qui in agendis negotiis es expeditiſſimus & ſollertiſſimus: qui denique vita laudabili honeſtaque converſatione polles, optimis moribus præditus, in divinis Officiis frequens ac creber. . . . Taceo, quod prioris epiſcopi fuiſti a ſecretis, vel Conſiliarius & familiaris, a quo & multa, quæ ad rem gerendam conducunt, accipere potuiſti. . . Qui . . per epiſcopum in Officialem receptus, in negotiis gravibus & arduis cauſſis Eccleſiæ Auguſtenſis apud ſummum Pontificem agendis in Urbem miſſus, virum, quem omnes ament, venerentur & obſervent, diligentem & prudentiſſimum te præſtitiſti. . . Qui denique Cæſareæ Majeſtatis, & RRmi. D. Cardinalis & Epiſcopi Gurcenſis Conſiliarium egiſti prudentem. Has præclaras & nobiles virtutes tuas, & animi bonitatem, & eruditionem optimam animadvertens Henricus epiſcopus . . . te in Coadjutorem recepit, cui & poſt ejus mortem, & modo in epiſcopatum ſuccedis. Quapropter gratulor tuæ egregiæ & honeſtiſſimæ ſubvectioni, virtuti, ſummæque ſapientiæ, qua factum videmus, ut ſis digniſſimus judicatus a Viris venerabilibus, & probatiſſimis, & univerſis Capituli Auguſtenſis, quod, inter Principes Religionis chriſtianæ, noſtræ provinciæ loco ſplendido conſpiciare. . . .

Incidit epiſcopatus *Chriſtophori* noſtri in difficillima tempora, quibus *Luthero* ſua dogmata ſpargente, *Germania* univerſa innumerabilibus turbis fluctuabat. His etiam dioeceſin *Auguſtanam*, imo ipſam urbem *Auguſtam* invadentibus pro officii epiſcopalis ratione totis viribus obſtitit Epiſcopus *noſter*, non ſine ſucceſſu, attamen non omni, quem ſperare ei licuiſſet; ovibus ſua ſponte in devia ruentibus, quidquid contra Paſtor moneret. Monuit autem quam impenſiſſime *Mandato epiſcopali* anno 1520. edito, & Bullæ *Leonis X.* adverſus *Lutheri* doctrinam, a ſe promulgatæ præmiſſo: quod ipſum, quoniam vigilantiam paſtoralem *Chriſtophori* luculentiſſime comprobat, & perquam memorabilem *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Auguſtanæ* epocham facit, integrum hoc loco apponere juvat, ne forte omnino intercidat, præſertim cum rarius ſit & multum infrequens. Eſt autem in hæc verba perſcriptum:

CHRISTOPHORUS *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Auguſtanus, univerſis & ſingulis, nobis in Chriſto dilectis, Eccleſiarum & Monaſteriorum, etiam exemptorum; Prælatis, Abbatibus, Prioribus Præpoſitis, Decanis, Capitulis, parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, ceteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis, per civitatem & diœceſin noſtras Auguſtenſem ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, quosque præſens tangit negotium, ſalutem in Domino, & noſtris, imo verius Apoſtolicis obedire mandatis! Noveritis, Nos vigore certi Transſumpti Litterarum SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri* Leonis *divina providentia Papæ decimi, contra quendam fratrem* Martinum Luther *Ord. S. Auguſt. Heremitarum, ejusque adhærentes,*

compli-

complices, fautores & receptores, occaſione erroneæ, atque piarum mentium ſeductivæ doctrinæ ac ſcripturarum Fr. Martini, *nuper* Rhomæ *XVII. Kalend. Julii, anno viceſimo emanatarum, per Venerabilem, egregium, Nobis ſincere dilectum Magiſtrum* Joannem Eckium, *ſacræ Theologiæ & Canonum Doctorem, præfati D. N. Papæ ad infraſcripta Nuncium, jam ſæpius eſſe requiſitos, quatenus easdem Litteras Apoſtolicas, ſeu illarum Transſumpta publica per dictas civitatem & diœceſin noſtras publicari curaremus. Unde requiſitioni ac mandatis Apoſtolicis hujusmodi ex debito obedientiæ obtemperare volentes vobis omnibus & ſingulis ſupradictis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis, in dictis Litteris Apoſtolicis contentis, diſtricte præcipiendo mandamus: quatenus, poſtquam vigore præſentium fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, dictas Litteras Apoſtolicas, ſeu earum Transſumpta publica, omniaque & ſingula in eis contenta, in cancellis eccleſiarum & monaſteriorum veſtrorum, ac alibi, ubi, quando, & quotiens opus fuerit, Chriſti Fidelibus diligenter publicetis & intimetis, ac publicari & intimari permittatis & faciatis, omnes & ſingulos Chriſti Fideles ſupradictos fideliter exhortando: ut ab erroribus & doctrina præfati* Fr. Martini Luther, *in dictis Apoſtolicis Litteris deſignatis, eorumque prædicatione, publicatione, aſſertione, defenſione, libellorum & ſcripturarum editione, omnino abſtineant: neque libellos, prædicationes, ſcripturas ſive cedulas, erroneam doctrinam dicti* Lutheri *in ſe continentes, de cetero laudent, imprimant, vendant, publicent, ſive defendant publice vel occulte; aut eosdem in eorum domibus ſive aliis locis tenere ſeu occultare quoquo modo præſumant, vel aliquis eorum præſumat. Quin imo illos, poſt publicationem præſentium, Prælatis & Decanis Capitulorum*

ad comburendum indilate aſſignare curent, aliasque & alia faciant, quæ ipſos, & quemlibet eorum ſerie Litterarum Apoſtolicarum hujusmodi reſpective concernunt; prout ultionem divinam ac præfati D. N. Papæ indignationem, nec non ſententias, cenſuras, & pœnas alias in ipſis Litteris Apoſtolicis expreſſas voluerint evitare. Datum in Caſtro noſtro Dilling, die octava menſis Novembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo viceſimo. Sub noſtri Sigilli impreſſione.

(L.S.)

Monuit præterea in *Synodo diœceſana*, quam eodem anno (1520.) celebravit, & de qua ſermo inferius redibit. Monuit, dum Virum doctiſſimum *Joannem* CONTZELER *Mindelhaimenſem Auguſtinianum*, ſuum *Theologum*, *Pœnitentiarium generalem* novatoribus oppoſuit. His ſcilicet aliisque modis in propulſandis erroribus, in Fide ſancta avita conſervanda allaboravit *Chriſtophorus* noſter: Hæc, aliaque proDiœceſis ſibi commiſſæ bono,proCleri & Laicorum emendatione conatus eſt; prout pluribus pandunt STENGELIUS (*e*), KHAMMIUS(*f*), & GASSARUS (g), ad quos Lectores meos remittere juvat;

(*e*) In *Comment. Rer. Auguſt. p.* 258. *ſeqq.*

(*f*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 310. *ſeqq.*

(g) In *Annal. Augſtburgenſ.* inter MENCKENII *Scriptores. T. I. p.* 1758. *ſeqq.* Ceterum GASSARUM hunc ipſum caute legendum tum monui ſæpius, tum monere in poſterum ſuperſedebo: quod legentibus quibuscunque facile pateat: eundem in illis, quæ de Clero catholico narrat, ut plurimum convicia aſpergere.

vat; cum meum non ſit, in iis, quæ hi narrant, renarrandis longius immorari.

Interim cum & obortæ in *Germanico* regno Religionis diſſidia & alia gravia Imperii negotia crebros per id ætatis *Conventus* fieri poſtularent; *Chriſtophorus* autem animi ac ingenii dotibus antecelluerit multos, negotiisque heroicis jam ante ſuſceptum epiſcopatum magnopere aſſueverit: ſummorum itidem Imperatorum & S. R. I. Procerum gratia plurimum valuerit: quis mirabitur, eundem in *Comitiis Imperii* aliisque maximi momenti rebus partem permagnam habuiſſe. Interfuit autem primo Comitiis *Auguſtanis* anno 1518. a *Maximiliano* Imperatore, adverſus Turcas *Hungariam* fæde devaſtantes, & turbas ex prædicatione novorum dogmatum invaleſcentes, coactis. Adfuit deinde in *Conventibus Carolinis* ſive ſub *Carolo V.* congregatis omnibus: *Wormatienſi* nimirum, anni 1521. in quo, una cum aliis doctiſſimis ac ſpectatiſſimis Viris, *Lutherum* ad frugem reducere, & ſuavi eloquentia ſua ad recantanda dogmata commovere, ſed irrito conatu, ſtuduit. *Norimbergenſi*, anni 1523. in quo acriter eum contra partis alterius aſſeclas egiſſe, ſcriptis traditum eſt. *Ratisbonenſi*, anni 1524. (licet his per Oratorem duntaxat ſuum, & Conſiliarios eo miſſos) in quo *Card.* CAMPEGIUS, *Matth.* LANGIUS *Card. & Archiepiſc. Salisburgenſis*, FERDINANDUS *Archidux Auſtriæ*, WILHELMUS & LUDOVICUS *Duces Bavariæ*, Epiſcopi *Bambergenſis*, *Eichſtettenſis*, *Ratisbonenſis*, *Friſingenſis*, *Brixinenſis* & *Tridentinus* de ſupprimendo novo dogmate conſilia in unum contulerunt. *Spirenſi*, anno 1529. quem conſiliis ſuis adjuvit. *Auguſtano*, anni 1530. in quo *non ſolum ut Ordinarius loci, ſed ut doctus conſtansque*

Vir

Vir ab Imperatore *Carolo V.* cum aliis Catholicis ſex (*) delectus fuit, qui cum totidem Acatholicis de ineundis *Concordiæ* rationibus invicem conſultarent. *Nürdlingano*, ſive *Ligæ Suevicæ* Conventui, anni 1531. in quo a *Wigando Bambergenſi*, exempto præſule, contra *Georgium Brandenburgenſem* Marckgravium magnanimiter ſtetit. *Hagenovienſi*, anni 1540. *Wormatienſi* ſecundo, dicti anni. *Ratisbonenſi*, anni 1541. in quibus Eccleſiæ & Imperio pacem unitatemque reddere modis omnibus allaboravit. *Norimbergenſi* denique, anni 1542. deinde & anni 1543. in quo dum ſecunda vice cum *Friderico* Palatino imperatorium *Legatum*, vulgo *Commiſſarium* agit, apoplexia tactus ad diem 15. Aprilis dicti anni diem ſupremam clauſit (*h*) *Præſul, dum viveret, virtutum & doctrinæ laude florentiſſimus* (**), curis Imperii publicis nunquam moritura nominis fama immortuus; poſtquam

(*) Fuerunt hi *Henricus*, *Brunsvicenſis* Epiſcopus: Jureconſulti duo *Colonienſis* & *Badenſis*: Theologi tres *Wimpinus*, *Eccius*, *Cochlæus*. V. KHAM *l. c. p.* 345. Quæ de hoc negotio, ex *Georg.* COELESTINO, SECKENDORFIUS in *Hiſtor. Lutheran. L. II. p.* 161. narrat, quemadmodum Epiſcopo docto & pio indigna ſunt, ita, ſaltem verbis illis perſcripta, quibus COELESTINUS ea perſcripſit, fidem nullam merentur. Simile eſt, quod teſte citato SECKENDORFIO, *p.* 170. poſt lectam *Auguſtanam Confeſſionem* dixiſſe Epiſcopus noſter FERTUR. Credat hoc. qui vagis, nullumque certum auctorem habentibus rumoribus fidem adjungere ſolitus eſt.

(*h*) STENGELIUS; KHAMMIUS; *Paulus a* STETTEN *ſenior*; GASSARUS, qui mortem *Noſtri* in menſem *Majum* falſo rejicit; SLEIDANUS; KOHLBORNIUS in *Comment.* adjecto ſub finem *Orationis Noſtri. Ulmæ.* in 4to. ubi hæc fuſe narrantur.

(**) Hoc elogio ornat *Noſtrum* SCHELHORNIUS ipſe in *Amœn. Hiſt. eccleſ. T. II. p.* 607.

quam multa indigna tulit, poſtquam multa magnaque pro *Imperio* & *Eccleſia* fecit. Præterea graviſſimarum diſceptationum & diſcordiarum *Carolum Ferdinandum*que inter, & *Proteſtantes* exortarum feliciſſimus conciliator atque arbiter ſæpiſſime extitit. Simili modo diſſidium *Ludovicum Wilhelmum*que Duces *Bavariæ* inter, & Ducem *Würtembergenſem* ortum *Lavingæ* e medio ſuſtulit, felix oppido pacificator, atque ob id etiam *Angelus pacis* dictus.

Viſcera defuncti Epiſcopi *noſtri* in monaſterio *S. Aegidii Norimbergæ* humo condita ſuere cum hac epigraphe, Canonicorum Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ* pio ſtudio facta:

D. M.

Chriſtophoro a Stadion Epiſcopo Auguſtano, in cæſarea ſunctione Caroli V. Rom. Imp. diem ſuum obeunti, Principi pio, docto, egenorum patri, Religionis ſyncerœ ac pacis amantiſſimo, virtutumque plane omnium alumno, incredibilem magnatum & infimatum mærorem, & ſui deſiderium, maxime vero nomen bonum poſteris relinquenti, Capitulum Auguſtenſe pietatis & perennis memoriæ ergo, tanquam filii parenti deſideratiſſimo, ob ipſius Inteſtina hic condita

M. H. F. C.

Obiit an. Chriſti M D XLIII. Menſ. Apr. D. XV. Vixit an. LXV. D. XXX. in quibus Eccleſiæ ſuæ præſuit an. XXVI. D. III.

Corpus *Dillingam* transvectum in æde *S. Petri* ſepulturam accepit, adjecto ſequenti Epitaphio (*i*).

Sepulchrum des Gottsförchtigen, demüthigen Vatters der Armen, Fridmachers, Ehrenholds, Liebhabers

(*i*) KHAMMIUS *l. c. p.* 319. qui utinam integrum *Epitaphium* dediſſet!

habers der wahren Religion und Gerechtigkeit, gelehrten, hochweiſen, frommen Furſten &c.

Adiit *Chriſtophorus* epiſcopatum anno 1517. Rexit 26. annis. Obiit anno 1543. ætatis vero 65. Ex morte *Noſtri valde ſe contriſtatum eſſe*, palam profiteri voluit *Paulus III.* Pontifex maximus, *tum ob ejus prudentiam, & in regendo experientiam, tum quod alieniſſimo Eccleſiæ Auguſtanæ tempore extinctus eſſet.* Idem paſſus eſt *Carolus V.* Imperator, qui, quod *Noſtrum ſingulari humanitate & benevolentia amplexus eſt, & non ſolum pro meritis illius, ſed etiam pro auctoritate dignitateque Epiſcopatus Auguſtani novo quotidie honore ornare, eoque ut Conſiliario ac Commiſſario in maximis rebus uti voluit: ejus obitum, ut merito omnes dolere debuerunt, ita ipſus non ſine animi mœrore intellexit* (*).

Fuit *Noſter* erga ſubditos mitis & benignus; erga pauperes liberaliſſimus; in victu, veſtitu ac famulatu parciſſimus; *prudentia maxima, mira humanitate & animi moderatione ſingulari*, quas animi dotes quin in *Noſtro* prædicarent, ipſi acatholici Scriptores, nominatim GASSARUS & SECKENDORFIUS, continere ſe nequiverunt, prædītus; pacis & unitatis longe ſtudioſiſſimus. Fuit (ut de ingenii quoque dotibus dicam) Vir ſumme eloquens; omni excellens doctrina; in S. Scripturæ, Librorum theologicorum ac juridicorum, quos per palatium ſuum hinc illinc ſparſos habuit, lectione aſſiduus; in alloquio ſuorum de iis, quæ ex jure ac ſacris litteris hauſerat, recreationis loco, ſe oblectans; litterarum & litteratorum fautor maximus (*k*). Hinc factum,

(*) V. *Chronicon Truchſeſſiorum*, vernacule editum, *P. II. p.* 532. 535.

(*k*) KHAMMIUS, STENGELIUS, GASSARUS, *Paulus a* STETTEN.

ctum, ut *Joannem* OECOLAMPADIUM, & poſt hunc *Urbanum* RHEGIUM, dum in orthodoxa Fide ſteterunt, multo favore proſecutus, & aliquando temporis ſpatio eorum opera ad ſacras conciones uſus ſit (*l*). Hinc etiam factum, ut res litterarii ad templum *Marianum* ludi cordi magnopere habuerit, eidemque *Joannem* VOEGELINUM (*m*) *Heilbrunnenſem*, Virum doctiſſimum, & inſignem Mathematicum præſicere ſategerit. Hinc factum, ut *Eraſmo Roterodamo* non ſolum ſe benigniſſimum præbuerit, ſed etiam ad eum viſendum, ſeptem dierum itinere, *Friburgum* profectus ſit, *afferens ſecum duo pocula regia cum CC. Florenis aureis, deferens inſuper omnium facultatum ſuarum communionem.* Et probe favori Præſulis noſtri reſpondit *Eraſmus*, in ejus laudes quavis occaſione data excurrens: Sic eum *Virum tum nobilem tum apprime doctum; Virum ut majorum imaginibus illuſtrem, ita prudentia, conſilio, pietatis amore ac munificentia vix ulli ſecundum* vocare non dubitavit: Sic in *Epiſtola* ad *Conradum a* DINGEN, Epiſcopum *Wirceburgenſem*, *Noſtrum* inter eos Epiſcopos connumerat, *qui pietate morum, qui ſacra doctrina, qui prudenti moderatione lætiora promittant*, comparatque *Alphonſo Fonſecæ* Archiepiſcopo *Toletano*, & *Joanni Roffenſi* Epiſcopo. Hinc factum, ut, ejusdem *Eraſmi* commendatione, *Auguſtinum* MARIUM (*n*), Theologiæ Doctorem,

(*l*) GASSARUS, & *Paul.* a STETTEN. CROPHIUS in *Hiſtorie des Gymnaſiums zu St. Anna in Augſpurg*, p. 6.

(*m* Hic poſtea (circa annum 1525.) in Univerſitate *Viennenſi* floruit, ubi diſciplinas mathematicas & *Euclidem* publice docuit. V. EDERI *Catalog. Rector. Archigymnaſ. Viennenſ.* p. 66.

(*n*) De *Viro* hoc conſule *Gandulphum de CC. Script. Auguſtinianis*, & OSSINGERI *Biblioth. Auguſtin.* Item *Guilelm.* EYSENGREIN in *Catal. Teſt. Verit.* p. 200. *b*.

rem, poſtea ſuffraganeum *Wirceburgenſem* ampla gratia complecti, litterisque ſalutare dignatus ſit (*o*). Hinc factum, ut ſimilis benevolentiæ ſpecimina *Joanni* quoque ALTENSTAIGIO, SS. Theologiæ Doctori, Viro egregie docto, exhibuerit; quem etiam in paſtoralis ſollicitudinis partem vocare non dubitavit; uti infra videbimus.

Sed his miſſis ad litteraria *Noſtri*, quæ ex illo tempore nobis relicta ſunt, monumenta recenſenda pergo. Sunt illa:

I. *Statuta Diœceſana RRmi. in Chriſto Patris ac Domini D. Chriſtophori Epiſcopi Auguſtenſis in celebratione Synodi, feria tertia poſt Galli anno* 1517. *publicata.* in *folio.* In fine hæc leguntur: *Finiunt Statuta .. per Sylvanum Otmar, Auguſtæ impreſſa anno* 1517. *die Martis, X. Novembris.* Ex hac primigenia Editione eadem *Statuta* RRmus. *Joſ. Ant.* STEINER ſuo *Synodali Auguſtano*, in 4to. *pag.* 171. *ſeqq.* inſeruit.

II. *Oratio RRmi. Auguſtenſis Eccleſiæ Antiſtitis Chriſtophori* STADION *in Synodo ad Clerum habita.* in 4to. Sub finem leguntur ſequentia: *Finit fauſtiſſime Reverendi Auguſtani Præſulis Oratio in noſtro cœnobio Ottinpurrhenſi SS. Alexandri & Theodori Martyrum. A.* 1518. (*p*) Habuit nimirum ſub finem ſupradictæ *Synodi* anni 1517. *Chriſtophorus* Epiſcopus *Orationem* hanc ad præſentem Clerum; quam tamen (neſcio, quibus de cauſſis) cum ipſis *Statutis Synodi* imprimendam non curavit, ſed tantum

tum

(*o*) V. *Eraſmi Epiſtolas* (Opp. T. III. *Editionis Lugduno - Batavæ*) *pag.* 1094. 1095. 1128. 1192. 1285. 1481.

(*p*) V. *RRmi. Joſ. Ant.* STEINER *Acta ſelecta Eccleſiæ Auguſtanæ*, *p.* 57. Confer, ſi lubet, SCHELHORNII *Amœnit. Hiſtor. eccleſ. & litterar. T. II. p.*607.

tum ſacris Proceribus & Abbatibus ſcripto communicavit. Fuit hos inter *Leonardus* WIDEMANN Abbas *Ottoburanus*, qui, etſi a *Chriſtophoro* prohibitus (ut in *Præfatione* vel potius *Dedicatione* ipſe fatetur) illam tamen typis ſui monaſterii excuſam luci publicæ expoſuit. Poſt hunc eam, plerisque incognitam, ſed, *ſive tempus*, *ſive argumentum*, *ſive auctorem ſpectes*, *nobiliſſimam* anno 1775. *Ulmæ* in 4to. recudi fecit KOHLBORNIUS, Eccleſiæ *Moguntinæ* presbyter, Canonicus ad *S. Stephanum* ibidem, juniorum Comitum *a* STADION moderator, & in peregrinationibus fidus *Mentor*, adjecto *Commentario de rebus ad Chriſtophorum* noſtrum *attinentibus*, in quo moderationem, conſtantiam, prudentiam, & (ſi res exigebat) zelum, ardoremque tuendæ Religionis in *Noſtro*, maxime ex Scriptoribus acatholicis, perbene confirmavit. Tertio prodiit in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtanæ*, a RRmo. *Joſ. Ant.* STEINER, anno 1785. *Auguſtæ* vulgatis, *pag.* 57. Habetur etiam Verſio *germanica* memoratæ *Orationis*, ſuſcepta ab illuſtriſſimis duobus Comitibus, fratribus germanis familiæ *Stadioneæ*, dicata ab iisdem illuſtriſſimæ matri, typis *Wagnerianis*, *Ulmæ*, in 4to. anno 1776. procuſa. Hæc de editionibus *Orationis*. De ipſa autem *Oratione* ut modo paucis dicam, eſt illa *egregiis admonitionibus referta*: *omnis facundiæ plena* (q): *tam ſalutaribus monitis ſanctisque præceptionibus ſcatens*, *ut veterum Patrum ſcriptis merito accenſeri poſſit*, teſte Auctore *novæ Bibliothecæ eccleſiaſticæ Friburgenſis* (r), qui,

(q) Ita teſtatur mox laudatus SCHELHORNIUS, & ipſe primus editor *Leonardus* WIDEMANNUS in *Præfatione* ſua.

(r) In *Vol. II. Faſc. I. p.* 116. *ſeqq.*

qui, ut noſtri *Chriſtophori* paſtoralem in optimis moribus reſtaurandis, reſtituendaque diſciplina eccleſiaſtica ſollicitudinem: ut ſolidam pietatem, ab omni ſuperſtitionis umbra alienam: ut incorruptum Chriſti & Evangelii amorem, quo is fuerat accenſus, ob legentium oculos poneret, *Excerpta* illius danda ſibi eſſe cenſuit.

III. Celebravit *Noſter* duas alias *Synodos*: unam *Dillingæ* anno 1520. adſtantibus 160. Presbyteris, in qua, novis erroribus obviare ſtudens, ſacerdotibus matrimonia ac *Lutheri* libros prohibuit, multaque alia ad conſervandos in Eccleſia catholica Paſtores & Oves utiliſſima ſtatuit: alteram anno 1536. ad cujus *Statuta* provocat THOMASSINUS in Opere: *De nova & veteri Eccleſiæ Diſciplina*, *T. I. l.* 2. *c.* 6. *n.* 2. (*s*). Ego, cum ambarum harum *Synodorum* Conſtitutiones (ſive quod typis excuſæ non fuerint, ſive quod per bellicas illorum temporum turbas interiverint) hactenus repperiri nequiverint, ad alia pergo.

IV. *Warhaffte Verantwurtung. An die Rö. Kay. und Kön. May. und andere deß heyligen Rö. Reichs Stende, von dem hochwürdigen fürſten und Herrn, Herrn Chriſtoffen Biſchoffen zu Augſpurg, unnd ſeiner F. G. Thumb Capitul. uff der Burgermaiſter und Ratgeben daſelbſt unerfindlich Schmach gedicht, newelicher Zeyt, jm druck außgangen, geſtellet.* in 4to. In fine legitur: *Datum uff den Sechs und Zwainzigiſten Tag deß Monats Februarii, nach Chriſti unſers lieben Herrn gepurt, gezelt, Tauſent fünffhundert dreyſſig und Syben Jar.* (*t*) Inibat annus a parta

(*s*) GASSARUS *l. c. p.* 1759. *Joſ. Ant.* STEINER in *Synod. Auguſt. p.* 227.

(*t*) Extat in Bibliotheca *SS. Udalrici & Afræ*, *Auguſtæ.*

ta ſalute 1537. cum Senatus *Auguſtanus*, fruſtra obluctantibus multis ex Patritiorum ordine, *Chriſtophorum* & Capitulum cathedralis Eccleſiæ per ſex Deputatos convenit: 1º. ut Miſſæ ſacrificium aboleretur. 2º. ut ſacræ Imagines ex templis amoverentur. 3º. ut Clerus jus civitatis ſibi adſciſceret; ſin minus, cederet urbe (*u*). Has propoſitiones Epiſcopus cum acceptare nec poſſet nec vellet: multaque alia vi geri videret, diſceſſit ex urbe cum Clero univerſo. Senatus, cœptis inſiſtens, ad Cæſarem *Carolum* in *Hiſpaniis* tum morantem; ad Regem *Ferdinandum*, *Viennam*; ad Duces *Bavariæ* pleniorem rei totius Expoſitionem (*Deductionem* vocant) ſcriptam per varios Oratores, at nullibi clementer auditos, miſit: cui, cum poſtea etiam typis procuſa apparuiſſet, *Apologiam*, de qua ſermo eſt, Epiſcopus noſter cum *Marquardo a* STAIN J. V. D. S. C. M. Conſiliario, Præpoſito Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ*: & *Philippo a* RECHBERG *de Hohen-Rechberg* Decano oppoſuit (*x*), de qua audiamus ſententiam Viri præſtantiſſimi juxta ac do-

(*u*) Non multum abſimiles ſunt Propoſitiones iſtæ iis, quas Senatus jam anno 1533. die 13. Maji *Chriſtophoro* fieri curaverat. V. KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 318.

(*x*) Fuſius controverſiam omnem exponit *Paulus a* STETTEN in *Hiſtorie der Stadt Augſpurg*, *T. I. p.* 351. *ſeqq.* addens alibi, nimirum *pag.* 440. de Epiſcopo noſtro: *Wie er dann, ob ihm ſchon anno* 1534. harte Zumuthungen *vom Rathe zu Augſpurg geſchehen . . ſich . . . ungemeine Mühe gegeben, beyde Religions-Theile mit einander zu vertragen.* Conferri quoque poterit SECKENDORFIUS in *Hiſtor. Lutheraniſmi. L. III. p.* 169. Præpoſtere rem narrat GASSARUS in *Ann. Augſt. p.* 1760. de *Noſtro* dicens: *Non citra* acerbiſſimam illam, in Rempublicam editam, Invectivam *urbe ceſſit*; quaſi hæc *Invectiva* eſſet, quæ vere *Apologia* eſt, ut rei geſtæ ſeries aperte monſtrat. Sed quid nobis cum GASSARO inſulſiſſimo?

ctiſſimi *Viglii* ZUICHEMI ad *Georg.* HERMANNUM *Auguſtanum* perſcriptam : *Legi Apologiam Epiſcopi & Capituli Auguſtenſis adverſus Libellum ab Senatu Auguſtenſi emiſſum... Quid vero opus eſt, ut meum de ea judicium .. tibi exponam ? cum quid de re ipſa ſentiam, ex prioribus meis Litteris ſatis colligere potueris. Irreligioſa Religio eſt , ne quid dicam gravius , ſub evangelicæ doctrinæ prætextu, ab veteri Eccleſiæ uſu ad nova dogmata ſubditos compellere. Illud vero jura humanæ Societatis prohibent , ne quis conceſſæ ſibi poteſtatis jurisdictionisque metam egrediatur, & in alienam .. meſſem falcem mittat , in eos videlicet illicite jus uſurpando , in quos legitimum ſibi imperium non competit. Quamobrem non modo mihi iſta non poteſt probari ; ſed (quantum ex nonnullorum , qui novæ Religionis antiſtites habentur , ſcriptis hactenus intelligere potui) ne illis quidem , quos iſti ſuæ doctrinæ, iſtarumque rerum novandarum auctores prætendunt , uſurpata in non - ſubditos poteſtas ... vel placere vel excuſari poteſt... Haud igitur valde mihi opus fuiſſe videtur aliqua* Apologia ; *nam illi , qui album album vocant , & nigrum nigrum , rem ex ſe æſtimant , & verborum lenocinio non capiuntur. Alii vero , quos idem fermentum corrupit , ora habent , non aures , & ſua tantum declamant fortiter ; quæ vero retorquentur aut reſpondentur , ſurdis auribus obaudiunt. . . In quibus iſti quoque* Apologiæ *dentes haud defuiſſe videntur. Viciſſim enim acriter mordet ; ſed provocato facilius , ſi ſe ulciſci voluit , veniam jura tribuunt* (*y*). Verum apage triſtia hæc ! Scriptum ceteroqûin eſt perrarum & lectu digniſſimum.

Hæc

(*y*) V. PAPENDRECHT *Analecta belgica* , *T. II. P. I.* ubi ſæpius de hac cauſa ſermo habetur.

Hæc ſunt, quæ de *Chriſtophoro, illuſtriſſimo ſæculi XVI. decore, ab Imperatore ceteriſque Germaniæ Principibus magni æſtimato, a Viris eruditis celebrato, honorato ab omnibus, chriſtiani Principis & Epiſcopi integerrimi dotibus quibuslibet mire effulgente* dicere habui (z), multa paucis complexus, ne nimis excurreret oratio; etenim ſingula ſi fuſius diſtinctiusque exponere voluiſſem, facile libellum impleſſem. Sed hæc præſtantiora ſtrictim narraſſe ſufficiat (*a*).

Præter citatos a me Auctores conſuli de *Noſtro* quoque poterit *Guilielmus* KHELLNERUS *a Zinnendorf*, qui in *Vita Wolfg. Andr.* REHM *a Köz*, Eccleſiæ *Auguſtanæ* Præpoſiti, multa in laudem *Chriſtophori* noſtri affert: ex quo nonnulla verbatim in hac narratione mutuatus ſum.

(z) V. *Novam Bibliothec. Eccleſiaſt. Friburgenſem*, *Vol. II. Faſcic. I.* p. 126.

(*a*) Promiſit *Jac.* BRUCKERUS: ſe *Noſtrum* in *Opere*, quo illuſtres *Sæculi XVI.* Viros deſcribere conſtituerat, inter primos exhibiturum eſſe. Verum cum iſtud doctiſſimi viri propoſitum exitu caruerit, iis, quæ a me de illo dicta ſunt, contentus ſis, Lector! obſecro.

S. SYMPERTUS.

Permagnum orbis litteratus, rerumque geſtarum Hiſtoria detrimentum inde accepit, quod nullus Synchronorum *Vitam Sancti* noſtri deſcripſerit, aut ſi quidem ab aliquo deſcripta fuit, eadem ad nos usque non pervenerit. Doluit hoc *Joannes* MABILLONIUS (*a*) qui, cum quæ GONO in *Libr.* 4. *de Vitis Patrum Occidentis*, & *Sigismundus* (MAYSTERLINUS) in *Chronico Auguſtano eccleſiaſtico* de

 Noſtro

(*a*) In *Actis SS. Ord. S. Bened. T. VI.* p. 564. *Venetiis.*

Noſtro tradiderunt, leviſſimæ auctoritatis eſſe viderentur, nihil tamen certius nanciſci potuit. Aequiore fortuna uſus *Bernardus* PEZIUS inventam a ſe in Bibliotheca *San - Udalricana*, *Auguſtæ*, ſancti *Epiſcopi* noſtri *Vitam* ab ADILBERTO (*b*) conſcri-

(*b*) Adilbertus iſte vitæ monaſticæ deditus, monaſterii *San - Udalricani* Prior, *quondam parvulorum Pædagogus*, ut ipſe de ſe ait, floruit ante medium ſæculum XIII. *Vir qua literis qua præclariſſimis factis celeberrimus*, uti teſtatur KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. III. regul. p.* 55. cujus *Teſtamentum miras & ſtupendas eleemoſynas continens Hildebrandus* Abbas, qui ab anno 1230. usque in annum 1243. præfuit, approbavit. Refert hoc *Teſtamentum* integrum *Wilhelmus* WITTWER (a me in *Alphabeto I.* hujus *Bibliothecæ* meæ laudatus) in *Catalogo MSSto. Abbatum SS. Udalrici & Afræ*, *p.* 103. 104.

Scripſit ADILBERTUS 1o. *Vitam S. Symperti*, quam exhibuit primus *Bernard.* PEZIUS: uti ſupra dictum eſt. *Prologus* incipit: *Quia utile & neceſſarium eſt, ut in exordio & capite cujusque libri ponatur &c.* Vitæ autem exordium ſequens eſt: *Beatus igitur Sympertus omnium virtutum gratia a Deo decoratus &c* Scripſit *Noſter* hanc *Vitam ex voto*, quo ſe obſtrinxerat, *illectus gratiæ beneficio* ſibi, dum *Pædagogus* erat, quadam corporis infirmitate laboranti, a Domino interceſſione *S. Symperti* collato. *Vitam* hanc, etſi hinc inde communibus locis expleta ſit, ob id magni faciendam eſſe judicavit PEZIUS, quia *ab antiquiſſimo, qui de S. Symperto ſcripſerint, Auctore profecta ſit, qui ſatius ſibi ſuisque poſteris fore exiſtimavit, ingenue fateri, plurima S. Symperti Acta intercidiſſe, quam nova .. confingere.* Confer, ſi lubet, *Hiſtoriam litter. Ord. S. Bened. T. IV.* quæ in eo errat, quod *Noſtrum* ſub *Maximiliano I.* & *ſæculo XV.* ſcripſiſſe dicat; quem tamen errorem paulo poſt recantat, & *Noſtrum* circa annum 1240. vixiſſe aſſerit: & *Jo. Alb.* FABRICII *Bibl. med. & inf. Latinit.* (v. *Adelbertus*) qui ſequentia omnia ignoravit. 2o. *Vitam S. Afræ*, quæ excuſa habetur *Auguſtæ*, anno 1516. in 4to. Impenſis Cænobii *San - Udalricani*: ubi legere eſt: *Incipit Prologus Adalberti Prioris &c. Voluntatis & propoſiti noſtri*

ſcriptam una cum aliis pluribus ad eundem *Sanctum* pertinentibus juris publici fecit (*c*).

ſtri eſt, Fratres! ut poſteris noſtris enarremus, qualiter beata Chriſti martyr Afra &c. 3°. *Vitam S. Udalrici*, quam tamen, non niſi ſubdubitans, *Adilberto* noſtro tribuo, ſecutus KHAMMIUM; quin *Vitam iſtam* ullibi certis indiciis deprehenderim. Nam *Vita* illa, quæ habetur excuſa anno 1516. cum *Vitis S. Symperti* & *S. Afræ* (Vide *Notam* mox ſequentem (*c*) non eſt *Adilberti*, ſed *Bernonis-Augienſis.* 4°. *Sermones*, quos olim Bibliotheca *San-Udalricana* ſervavit, nunc vero amiſſos dolet. 5°. *Legendas Sanctorum*, & has inter ſpeciatim *Vitam S. Athanaſii*; de quibus ipſe ait: *Anno exacto cum operam dediſſem* ordinandi & ſcribendi *ad Vigilias matutinales in Feſtis Sanctorum* Legendas. Tomum Libri Confeſſorum *reſpiciens &* S. Athanaſii Vitam *inter alia non reperiens, obſtupui ... quod vir tantus.. in partibus noſtris* de actibus ſuis *ſaltem* libellum manualem *non haberet* ſpecialem. *Nil ergo moratus Hiſtorias, eccleſiaſticam videlicet Euſebii Cæſareenſis, & tripartitam Sozomeni, Theodoreti & Socratis ... ac Librum illuſtrium Virorum, & Librum chronicalem pertractans ... legi in quodam Capitulo de Rufino, qui Vitam illius ſuo nobilitavit eloquio: Reperi etiam abunde in iisdem libris ad deſiderium meum &c.&c.* Vide *Bollandi Acta SS.T.VII.Maii.* p. 548. ubi hanc *Noſtri* Lucubrationem a *Gamanſio* in *Blaubūrenſi* & *Wiblingenſi* Monaſteriis repertam fuiſſe, aſſeritur. Confer etiam *Hiſtoriam litterariam Ord. S. Bened. T. IV. p.* 416. *Bernardus* PEZIUS *l.c.* fidem ſuam obſtrinxit, ſe de ADILBERTI Scriptis alibi pluribus acturum: quod an præſtiterit, me penitus latet.

(*c*) In *Theſauri Anecdot. noviſſimi T. II. P.III. p.* 353 — 452. De reliquo extat alia *S. Symperti* Vita ab ea, quam PEZIUS vulgavit, diverſa, quæ eundem penitus fugit, & quæ (junctim cum *Vita SS. Udalrici & Afræ*) anno 1516. tum *latine*, tum *germanice* impenſis Cænobii *San-Udalricani* in 4to. prodiit, typis per *Sylvanum Otmarum* excuſa: cujus editor anonymus, utut ætate *Adilberto* recentior, tamen e fontibus multo vetuſtioribus ſua hauſit. Ait enim in *Prologo:* „Noveris, Lector diſcrete! parum no-

S. SYMPERTUS (*d*) nobiliſſimo genere ortus, parentes habuit *Ambertum, Aubertum, Lambertum* (Ut antiqua iſta nomina varie efferri conſueverunt) *Auſtraſiæ Moſellanæ* (poſtea *Lotharingiæ* dictæ) ſive ut alii dicunt *Arduennæ* Dynaſtam & *Symphorianam*, ſororem *Caroli*, cui geſta clariſſima *Magni* cognomen pepererunt (*e*). Soror *Noſtra* fuit *Rorinna*,

„ bis de Vita & Regimine beatiſſimi *Symperti* ſcriptis eſſe „ relictum, præter illa, quæ *aliquot ante annos* ex *Campidonenſi* celebris Cænobii Bibliotheca *corticibus more vetuſtiſſimorum exarata* offendimus; quorum ſumma ſubſequenti ac brevi explicatur annotatione. Ea autem, quæ „ noſtris geſta ſunt temporibus, ſuis in locis plenius elucidantur. . . " Liber hunc titulum præfert: *Glorioſorum Chriſti Confeſſorum Udalrici & Symperti, nec non beatiſſimæ Martyris Afræ, Auguſtanæ Sedis Patronorum quam fideliſſimorum, Hiſtoriæ &c.* Hac *S. Symperti Vita* uſus eſt, antequam vulgaretur typis, *Sigismundus* MAYSTERLINUS, qui eandem in *Indice Monaſterii SS. Udalrici & Afræ MSSto.* ſuccinctim exhibuit, addito hoc monito: *Quoniam B. Symperti præclara nimis miracula a Majoribus noſtris litteris tradita ſunt, Vitæ vero ipſius primordia fere prorſus obliterata; . . noſtra tempeſtate ſtudioſorum quorundam Patrum exquiſita diligentia* ex vetuſtiſſimis litterarum monimentis (*Cortices* ſupradictos intelligit MAYSTERLINUS) *quædam inventa, operæ pretium eſſe credimus, in lucem proferre.* Hac autem *Vita*, utpote antiquiſſima, & (quod videtur) haud diu poſt *Noſtri* obitum conſcripta maxime uti, optimum judicavi.

(*d*) Vocatur etiam *Zymbrechtus*, & *Ximbertus*, *Sindbertus*. *Sindpertus*. *Himbertus*.

(*e*) Contra matrem *Noſtri*, *Symphorianam*, excipit *Jo.* MABILLONIUS, dicens: eam inter *Pipini* regis filias deſiderari. V. *Acta SS. Ord. S. Bened. T. VI. p.* 564. Contra Chronologi *Auguſtani* eam paſſim adſtruunt. GASSARUS non ſororem, ſed *neptim Caroli M.* fuiſſe, ait. Perbene omnia extricat *Hieron.* HENNINGES in *Opere genealog. P. I. p.* 23. 64. Memini, me monuiſſe in *Alphabeto II.* hujus *Biblio-*

rinna , *Nothardo Sueviæ* Duci nupta, maxima monaſterii *Campidonenſis* benefactrix (*f*).

Nuptias *Amberti* & *Symphorianæ* , ſeu *Symphorinæ* conciliaſſe perhibetur *Leo Pontifex maximus* , *Caroli M.* & *Symphorinæ Cognatus* , *qui omni* , *qua potuit*, *ſagacitate laborabat* , *ut legitimo thoro jungerentur* , *ſperans prolem ex eis* , *divina opitulante gratia* , *naſcituram ſpecioſam ac virtuoſam* , *parentibus ſimilem* (*g*). Sic fœdere connubiali juncti vitam duxere probiſſimam , miſericordiæ præſertim operibus inſiſtentes ; donec tandem , poſt longius temporis intervallum , filio elegantiſſimæ formæ feliciter aucti ſunt (*h*). Huic *Symperti*

 (*i*) no-

Bibliothecæ meæ , *p.* 100. *Arborem genealogicam S. Symperti* , a *Matth.* MARSCHALLO *confectam adhuc videri in Monaſterio San - Udalricano* , *Auguſtæ*. Confer *Wolf.* LAZIUM *de Migrat. Gent. p.* 101. 102. qui cum HENNINGESIO concordat. Avum *S. Symperti* MAYSTERLINUS in citato *Indice Monaſterii SS. Udalrici & Afræ MSSto.* vocat *Jopeterium* Ducem *Lotharingiæ* ; aviam vero *Salominam* , regis *Neapolitani* filiam.

(*f*) Ita teſtatur STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 75. & HENNINGES *l. c. p.* 23.

(*g*) Ita diſerte tradit *Vita* ſuperius a me memorata, *anno* 1516. excuſa. *Leo* autem alius haud eſſe potuit , ſi temporum ratio habetur , quam hujus nominis *tertius*, Pontifex & vitæ ſanctitate & rebus ſub , & cum *Carolo M.* geſtis famigeratiſſimus.

(*h*) Hoc accidiſſe anno *Amberti* 49. *Symphorianæ* autem 47. reparatæ dein ſalutis anno 770. ad diem 2. Aprilis , tradit *Vita anni* 1516. Eadem *Vita* cum STENGELIO & KHAMMIO refert : *Symphorianam*, nonnullis antequam *Sympertum* ederet , annis quam ſæpiſſime , præcipue tamen omni annuo die , quo poſtea natus eſt , ſcilicet 2. Aprilis , ſomnia habuiſſe jucundiſſima , viſamque ſibi parere filium pulcherrimum ; variis , deauratis , verſicoloribus indutum veſtibus , maxima utriusque ſexus circumſtante corona ; quibus futura ejus claritudo , ſanctitatis fama , & doctrinæ excellentia præſignificabatur.

(*i*) nomen inditum; qui ab primis annis optimis moribus inſtitutus, egregiæ indolis documentis plurimis datis, cum annis creviſſet, adhuc puer a parentibus monaſterio *Murbacenſi*, in *Alſatia* ad montem *Vogaſum* ſito, commendatus eſt. Moverat eos ſcilicet fama longe lateque diffuſa hujus Cænobii, quod per eam tempeſtatem & opibus plurimum florebat & ſtudiis, aliaque multa præſtabat, & (quod caput eſt) religioſis inſtitutis maximam ſibi per omnem Germaniam famam auctoritatemque compararat.

Eo itaque miſſus *S.* SYMPERTUS, ut & divinis litteris & probis moribus inſtrueretur, parentum de ſe ſpem quam maxime implevit; etenim Chriſti athletis aſſociatus mox omnem animi conatum ſanctæ conſecravit Paginæ, & ad virtutum culturam cunctis viribus incubuit: diſciplinis præterea liberaliſſimis ingenium, quod illi natura feliciſſimum indulſerat, egregie excoluit, omnesque litteras nullo negotio perdidicit; adeo ut, cum Deo & hominibus charus eſſe,ſcientiisque & virtutibus clareſcere cæpiſſet, venerandus loci Abbas animum adoleſcentis tentandum ſibi eſſe duxerit; ſi forte amore vitæ monaſticæ teneretur; quem ad illud inſtitutum amplectendum promptiſſimum inveniens, parentibus, affinibus & cognatis felici propoſito annuentibus, ſacræ militiæ adſcripſit. Licuit tum in SYMPERTO religionis videre ſummam, ſanctitatis advertere normam, & angelicæ obſervantiam vitæ contemplari; Licuit eum indies per ſanctæ vitæ converſationem proficientem, & de virtute in virtutem

(*i*) Nominis *Noſtro* impoſiti hanc rationem *Vita anni* 1516. reddit: *ut ex prima materni, & ex duabus ultimis paterni nominis ſyllabis* SYM - PERTUS *exiret.*

tutem ſtrenue progredientem intueri. Hinc factum, ut tertio loci illius Abbati (*Amichonem* vocant quidam) ad cælites evocato, SYMPERTUS ob eximiam morum innocentiam & doctrinæ elegantiam, conſentientibus fratrum votis, ſufficeretur.

In abbatiali officio conſtitutus (*k*) *Noſter* omni, quo potuit, ſtudio inſudavit, ut monaſterium ſuæ commiſſum fidei, a Majoribus ſuis, chriſtianiſſimis *Francorum* Regibus fundatum dotatumque, a ſe inſtauratum auctumque ampliſſimis honoribus, donationibus ac privilegiis locupletaret. In eum finem a Pontifice maximo (Puta *Leone III.*) conſentiente avunculo ſuo *Carolo M.* plenam omnium privilegiorum & prærogativarum confirmationem monaſterio ſuo impetravit (*l*): illudque plurium annorum ſpatio ita rexit, ut verum ejus œconomum, ut bonorum conſervatorem & augmentatorem ſeſe fideliſſimum, non ſine maxima nominis ſui laude, comprobarit.

Exarſerat inter ea grave & atrox bellum, quo colliſis invicem, *Gotfrido Alemanniæ* ſeu *Sueviæ*, & *Odilone* vel *Utilone Noricorum* vel *Boiorum*, Ducibus permulta utriusque ducatus loca ferro flammisque deleta, eccleſiæ vaſtatæ, diruta monaſteria, maxima hominum clades edita eſt. His malis motus Imperator *Carolus M.* ad pacandas tantas Chriſtianorum ſeditiones omnem animi induſtriam impen-

(*k*) COINTIUS, BUCELINI ſilentio ſeductus, negavit, SYMPERTUM abbatem *Murbacenſem* fuiſſe. Sed huic ſententiæ omnia contradicunt.

(*l*) *Sigismundus* MAYSTERLIN (de quo videri poterit hujus *Bibliothecæ* meæ *Alphabetum III. p.* 99. in *Chronico eccleſiaſt. Auguſtan.* apud PISTORIUM *T. III. p.* 667. teſtatur: *ſe ſuis oculis vidiſſe privilegia a Carolo M. data, quibus S. Sympertus monaſterium ſuum auxit.*

impendit, paceque Sueviæ inter & Bojoariæ Principes reſtituta, cum *Auguſtam* veniens ædem *S. Afræ* concrematam, ſedemque epiſcopalem ex plurium annorum ſpatio vacantem & (quod ſequitur) Religionem chriſtianam maxime laborantem comperiſſet, cæpit cogitare: quî tantis malis occurri, quî deſtructa, exuſta, lapſa reſtaurari & in priſtinum revocari ſtatum poſſent. Hæc ſecum dum reputat piiſſimus Imperator, occurrit menti ejus *S.* SYMPERTUS ex ſorore nepos, quem omni virtutum genere pollere noverat; ſtatimque eum Eccleſiæ *Auguſtanæ* præficere ſtatuit. Quamobrem miſſis ad Pontificem Legatis petiit, ut is ſuum præberet conſenſum, qui, de virtutibus *Noſtri* haud dubie ex fama certior factus, petita mox apoſtolica auctoritate firmavit.

Hoc modo in ſolio epiſcopali poſitus *Sanctus* noſter, eo curas, cogitationesque ſuas omnes convertit: ut morum, quæ irrepſerat, licentiam; ut ſacrorum neglectum; ut totius rei divinæ contemptum de medio tolleret: ut monendo, docendo, concionando, cui acerrime eum inſtitiſſe, & quo plurimum eum profuiſſe, Scriptores paſſim confirmant, vitia extirparet, virtutum ſemina ſpargeret, priſtinamque ſanctæ Religioni obſervantiam ac cultum reſtitueret. Ab internis ad externa converſus, opitulante inprimis *Caroli M.* liberali pietate, dirutas eccleſias, & has inter nominatim *S. Afræ* ædem, reſtauravit, ſacris altaribus, ornamentis, aliisque ad religioſum cultum ſpectantibus decoravit: vaſtata monaſteria, hæc inter in Alpium *Tyrolenſium* faucibus (*Fuſſen*) ſitum, rurſus ædificavit: nec non aliarum ſuæ dioeceſis eccleſiarum damna & detrimenta ſtudioſiſſime reparavit. *D. Virginis* ædem, *Auguſtæ*, a ſe reædificatam, in pervigilio

lio *S. Michaelis* ſolenni ritu conſecravit; unde annua nundinarum celebritas denuo originem traxit. Corpus *Waldrami* Abbatis & Fundatoris II. Cœnobii *Benedicto - burani* tumulo compoſuit, & fratrum, in ejus ſucceſſorem *Elilandum* Abbatem & Fundatorem III. memorati [illegible]terii eligentium vota omnibus commendavit (*). Quæ res ex iis, quæ mox narraturus ſum, fidem majorem nanciſcitur.

Advertens *S.* SYMPERTUS, epiſcopatum *Auguſtenſem* anguſtioribus circumſcribi limitibus, apud avunculum ſuum precibus inſtitit, ut certi *Alemaniæ* & *Norici* tractus eidem conjungerentur; quod a ſe impetratum & regali auctoritate confirmatum, ne Eccleſia in aliquo futuris diſpendium temporibus pateretur, apoſtolica quoque auctoritate communiri fecit. Narrat in hanc rem GASSARUS (*m*): *S.* SYMPERTUM, *mortuo Mannone Neoburgenſi epiſcopo, eum totum epiſcopatum Auguſtano, Caroli M. auctoritate, incorporaſſe.* A GASSARO non multum diſſentire videtur STENGELIUS (*n*). KHAMMIUS (*o*) autem contra hoc Aſſertum pluribus pugnat, tueturque: *Neoburgenſem* epiſcopatum abs *Auguſtano* diverſum non fuiſſe; ſed Præſules duntaxat a Reſidentia, non ab epiſcopali Sede, *Neoburgenſes* vocatos fuiſſe. Obſcuram hanc quæſtionem monumentorum coævorum auctoritatibus illuſtrare conatus eſt *P. Michael* STEIN Canonicus regularis *Rebdorfenſis*, cujus doctam *Commentationem de Epiſcopatu Neo-*

(*) Ita teſtatur MEICHELBECK in *Chron. Benedicto-burano.*

(*m*) In *Annal. Augſburg.* inter MENCKENII *Script. T. I. p.* 1365.

(*n*) In *Commentario Rer. Auguſt. p.* 76. 77.

(*o*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 68. 69.

Neoburgenſi in Libro : *Neue hiſtoriſche Abhandlungen der bayriſchen Akademie der Wiſſenſchaften* , in 4to. *Tom. I. anni* 1779. *p.* 383. invenies. In ea ſtatuit eruditus Auctor : 1o. Epiſcopatum *Neoburgenſem* anno 740. inſtitutum fuiſſe. 2o. Huic præfuiſſe quatuor Epiſcopos *Wiggonem*, *Mannonem* , *Hildegarum* & *Sympertum.* 3o. Epiſcopatum eundem anno 801. defeciſſe , & *Sympertum* ad ſedem epiſcopalem *Auguſtanam* translatum fuiſſe. Utcunque iſta ſe habeant, *Vita S. Symperti antiquiſſima*, in *Cortice* ſcripta , monaſterii *Campidonenſis* , ne verbulo monet , *S.* SYMPERTUM noſtrum prius *Sedem Neoburgenſem* tenuiſſe , atque inde ad *Sedem Auguſtanam* perveniſſe. Interim Scriptores omnes ut certum admittunt : a *S.* SYMPERTO territorium epiſcopatus *Auguſtani*, quod prius *Lyci* alveo finiebatur , longe ultra *Lycum* & in *Noricum* imperatoria ac papali auctoritate fuiſſe protenſum.

Sed ad alia pergamus. Fuit *Sanctus* noſter non *Carolo M.* ſolum,ſed etiam *Ludovico* filio quam gratiſſimus ; ita ut Imperator uterque ſæpiſſim eum in palatium accerſeret , & cum illo de univerſi Imperii ſumma , Religione , Diſciplina conſilia poneret. Quam autem negotia ſæcularia faſtidierit , ipſe aperte explicavit his verbis : *Frequentationis circumitio inter villas ideo nunquam fit a nobis* , *quia aliud impedimentum noſtræ occupationis nos fatigat* ; *dum inter curas epiſcopatus* , *& Palatinas ordinationes nulla ad providendas poſſeſſiones noſtras* (loquitur de *Murbacenſi* cænobio) *licentia ſuppedit. Sed Deus eſt teſtis* , *qui conſcius eſt cordis* , *quod in terrenis occupationibus non ſponte ſed invitus inhæreo* ; *qui quandoque nos a tributis Cæſaris abſolvat* , *quibus obnoxii ſumus* : *ut ſecurius* , *quæ Dei ſunt* , *nobis agere liceat.*

Syno-

Synodis deinde pluribus interſuit, Patresque inibi congregatos ſapientiſſimis conſiliis juvit *S.* SYMPERTUS. Sunt hæ (ſi GASSARO & KHAMMIO fidem habemus) *Moguntina* anni 813. a *Rycolpho* Metropolita ſub æſtatem juſſu *Caroli M.* conſcripta. *Ratisbonenſis. Francofortenſis. Aquisgranenſis I. Theodovillenſis. Wormacienſis. Aquisgranenſis II.* omnes a *Ludovico* Imperatore coactæ (*p*). *Rhemenſi* quoque Synodo anni 813. adſuiſſe, STENGELIUS tradit; de quo inferius, ubi de Scriptis *Noſtri* agitur, *No. I.* videri poterit.

Quanta autem cura & diligentia varia in Synodis ſalubriter ſancita & promulgarit, & obſervari fecerit, duæ præcipue res evidenter declarant. 1o. *Statuta Regularia Murbacenſi* cænobio a *Noſtro*, ex Synodo in *Francia* celebrata revertente, præſcripta: de quibus paulo poſt dicam. 2o. *Schola* ad *D. Virginis* ædem *Auguſtæ* (*q*), quam, cum *Carolus*

(*p*) Conferri de his Synodis merentur LABBEI & COSSARTII *Concilia. Venetus. T. IX.* Addit GASSARUS, at ſolus: *Noſtrum* etiam interfuiſſe Synodo *Aquisgranenſi*, quam *Pipinus*, *Italiæ* rex, filius *Ludovici*, congregari juſſerat. Sed vereor, ne hoc male idem moneat.

(*q*) STENGELIUS, KHAMMIUS, GASSARUS, & STETTEN *Hiſtorie von Augſpurg*, *T. I. Hiſtoria litterar. Ord. S. Bened. T. I. p.* 24. Hanc deinde Scholam *ſæculo XII.* ſub *Hermanno*, ex Comitibus *de Wittelspach*, epiſcopo *Auguſtano*, egregium in modum doctrinæ ſuæ luminibus illuſtravit *Gerochus*, vel *Gerhohus*, demum factus Abbas *Reicherſpergenſis*, Vir doctiſſimus juxta ac famigeratiſſimus: de quo videri poterunt GASSARUS, *p.* 1046. STENGELIUS, *p.* 154. KHAMMIUS *P. I. p.* 581. OEFELIUS *Script. Rer. Boic. T. II.* FINAUER *Verſuch einer bayriſchen Gelehrten-Geſchichte*, *p.* 12. LAUNOIUS *T. IV. P. I. p.* 58. Anonymus *Minorita Conventualis* in Opere: *RR. Pontificum ſumma Auctoritas. in 4to. Faventiæ.* 1779. præcipue vero

rolus Magnus, magnus ille litterarum per regna ſua inſtaurator, præcepiſſet, ut omnes epiſcopi ludos erigerent, in quibus bonæ litteræ, & inprimis theologicæ docerentur, primus *Noſter* conſtituiſſe perhibetur. Hanc deinde ſollicitudinem non urbi & diœceſi *Auguſtanæ* tantum; ſed etiam monaſterio ſuo *Murbacenſi*, cujus adminiſtrationem, etiam Epiſcopus inſtitutus, ſibi ſervaverat, eleganter impendit, primam curam de regularis diſciplinæ obſervantia, alteram de litterarum cultura gerens; adeo ut hac ratione de ſcientiis quam optime meruiſſe ſanctum Epiſcopum noſtrum, negari minime queat.

Hoc modo cum præclaris facinoribus inſenuiſſet, poſt patrata multa divina & immortalia pietatis opera, ad cæleſtem patriam evocatus, inter devotas orationum commendationes ſpiritum Deo reddidit, multis in vita & poſt mortem miraculis clarus, cum *præcipuis Dioeceſis Auguſtanæ Patronis* connumeratus (r). Corpus in Baſilica *S. Afræ*, a ſe denuo exſtructa, ut vivus juſſerat, humatum hodiedum quieſcit.

Eſſent

vero *Matth.* RADERUS in *Bavaria ſancta. T. II. p.* 224. & poſt hunc *Bernard.* PEZIUS, qui edito a ſe *Gerhohi Commentario in Pſalmos* Diſſertationem *de Vita & Scriptis ejusdem* præfixit.

(r) Quo anno & die obierit *Sanctus* noſter, maxime in incerto eſt. *Vita anni* 1516. ponit annum 833. & diem IV. Iduum Octobris. Alii alios ponunt annos, & diem 13. Octobris, ſive III. Iduum Octobris. Nimis hæc, tum ob temporum antiquitatem, tum documentorum penuriam, hactenus intricata manserunt, quam ut certi aliquid ſtatui queat. Una autem omnes Scriptores voce *triginta* paſtoralis regiminis annos *Noſtro* attribuunt.

Eſſent permulta, quæ modo de miraculis; de inventione Reliquiarum *Sancti* noſtri; ide earum Translationibus, illa præcipue multo ſolenniſſima, quæ anno 1492. præſente *Maximiliano* Imperatore, & plurimis Imperii Proceribus, aliisque tum proſapia, tum dignitate, tum doctrina maxime conſpicuis Viris, a *Friderico a* ZOLLERN Epiſcopo *Auguſtano* (De hoc vide ſuperius *pag.* 26.) facta eſt; de adſcriptione ejus inter Cælites petente *Petro a* SCHAUMBURG Cardinale & Epiſcopo *Auguſtano* (Hujus *Vitam* dedi ſupra, *pag.* 18.) a *Nicolao V.* inſtituta; deque Cultu *Sancto* noſtro a Sede Romana decreto, dicere poſſem. Sed cum iſtud tum libelli anguſtiæ, tum propoſiti ſemel a me ſuſcepti ratio non permittant, Lectores meos ad eos *Scriptores*, quos per decurſum hujus narrationis citavi, remittere compellor.

Litteraria *S.* SYMPERTI monumenta reppeři ſequentia:

I. *Regularia Decreta a S. Synodo in Francia juſſu Karoli M. Patricii & Regis Romanorum celebrata, ad memoriam verbo & ſcripto præſentibus fratribus monaſterii Murbacenſis patefacta per Sympertum Abbatem ejusdem loci, & Epiſcopum Auguſtenſem, cui Synodo interfuit perſonaliter.* Cum anno 1500. Abbas *Murbacenſis Waltherus de Waltsperg*, conſentiente Capitulo, *propter evidentes & urgentes monaſterii ſui neceſſitates & ob præceptum regale* ad Diætam Imperii *Auguſtæ* celebratam *Johannem Naburg*, SS. Theologiæ Profeſſorem, Doctorem Decretorum, & Monachum miſiſſet, illeque ad monaſterium *San - Udalricanum Auguſtæ* divertiſſet, inter colloquendum Abbas ejus loci (Erat is *Conradus* MOERLIN doctrinæ, facundiæ & pietatis laude conſpicuus. (V. KHAMMIUM *P. II. p.* 262. & *Bibl. Auguſt. Alph. IV.*

P. III. p. 103.) & alii nonnulli Patres petierunt abs *Johanne*, ut *Regularia* hæc *Decreta* ab Abbate *Murbacenſi* cænobio *San - Udalricano* impetraret. Annuens petitis *Waltherus* eadem *ex vetuſta Rotula ſeu Charta pergamenea vetuſtis litteris exarata*, per *Wilhelmum de Hohenhem* Doctorem, Notariumque publicum transſcribi juſſit, & monaſterio *San-Udalricano* transmiſit. Primus (quod ſcio) horum *Decretorum* meminerat *Car.* STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 79. Primus autem *Bern.* PEZIUS in *Theſauro Anecdot. noviſſ. T. II. P. III. p.* 371. ex Codice *San - Udalricani* monaſterii typis vulgavit. Confer *Carolum* STENGELIUM, qui *l. c.* ait : *Apparet, hæc Statuta non eſſe ex celebri illa Synodo ſub Ludovico Pio, anno* 817. *habita; ſed potius ex Concilio Rhemenſi anno* 813. (*Nonnulli* 814. *habent*) *celebrato.* Quam STENGELII obſervationem approbat, *ſollerterque factam* dicit PEZIUS. Eadem *Statuta* MANSIUS *Supplemento Conciliorum*, a ſe edito, *Tom. I. p.* 789. & *Joſephus* HARZHEIM *Conciliis Germaniæ*, *T. I. p.* 378. inſeruit, qui *Synodum* hanc in annum 803. *veroſimiliter* (ut ait) rejicit.

II. *Sindberti Epiſcopi & Abbatis Murbacenſis Epiſtola encyclica*, ut eam *Jo.* MABILLONIUS appellat : quam, ex Bibliotheca *San - Gallenſi* erutam, idem *Analectis* ſuis *p.* 418. inſeruit. Eſt formula Epiſtolæ encyclicæ, qua hujus vel illius Fratris religioſi obitus *Reverentiſſimæ Matrifamiliæ* nunciatur, & anima defuncti vivorum ſuffragiis commendatur.

III. *Indiculum ad Epiſcopum*, in hæc verba perſcriptum : „ Domino reverentiſſimo ill. Sindbertus „ gratia Dei vocatus Epiſcopus, atque Abba de mo„ naſterio Morbac una cum fratribus æternam in

„ Chri-

„ Chriſto Jeſu Domino noſtro ſalutem &c. “ Videtur itidem genus epiſtolæ encyclicæ eſſe.

De duplici hoc vetuſtatis inſignis monimento dubitat MABILLONIUS *l. c. p.* 419. utrum *Noſtri* ſint, dicens : *Quia his in Epiſtolis Sindbertus* Epiſcopus & Abbas *ſimul appellatur*, *dubitare licet*, *an idem ſit ille Auguſtæ Vindelicorum epiſcopus? Etſi enim tempora conveniunt*, *in multis tamen cænobiis tunc erant Abbates*, *qui*, *abſque titulo*, *Epiſcopi fuerunt.* Addit idem : *Eodem tempore alter erat hujus nominis Epiſcopus Ratisbonenſis.* Hujus ſcrupuli meminit etiam *Hiſtoria litterar. Ord. S. Bened. T. I.* quin aliquid definiat. Ego, cum *S* SYMPERTUS noſter, etiam in ſolio epiſcopali poſitus, Abbatiam *Murbacenſem* retinuerit, quod ſuperius in Vita vidimus, & quod latuiſſe MABILLONIUM videtur, non video, cui aptius tribui duplex hoc monumentum poſſit, quam *S.* SYMPERTO, *Auguſtano.*

Confer, ſi lubet, *Jo. Alb.* FABRICII *Bibliothecam med. & inf. Latinit.* a MANSIO editam, *Venetiis.*

TRUCHSESSIUS (*Otho*) de *Waldburg*, Cardinalis & Epiſcopus *Auguſtanus.*

De *Othonis* TRUCHSESSII laudibus acturo mihi id apprime curandum eſt, ne ſermone prolixior ſim; nam, cum ille illuſtriſſimæ familiæ ſuæ, Eccleſiæ *Auguſtanæ*, Purpurati denique Chori illuſtre ornamentum extiterit, quis non videt, infinitum pæne fore eum, qui ſingulas ejus virtutes, meritaque ſingula enucleatius perſcribenda ſibi ſumeret (*a*).

 Id

(*a*) In hoc mecum inter alios conſentit Editor Libri : *Chronick der Truchſeſſen von Waldburg*, *T. I. p.* 104. dicens :

Id itaque operam dabo quam maximam, ut, dicendo contractior, in nuce Iliadem dem, dein pro Operis ſemel ſuſcepti ratione litterarias *Noſtri* laudes maxime perſequar. In prima Sectione *Vitam Noſtri*: in ſecunda *Merita Noſtri in Rempublicam litterariam*, & *encomia Doctorum in Noſtrum*: in tertia *litteraria Noſtri Monumenta* deſcribam.

Sectio I.

Vita Noſtri & *Res geſtæ.*

TRUCHSESSIUS noſter, patre *Wilhelmo ſeniore*, matre *Sibylla* Comitiſſa *de* SONNENBERG (*b*) tertio loco genitus, primam lucem in oppido *Scheer* (*c*) anno a partu Virginis MDXIV. die 26. Februarii aſpexit (*d*). Is ab ipſis incunabulis futuræ magnitudinis omina dare haud diſtulit (*e*): ubi vero annis

cens: *Man wird ſich aber .. begnügen, nur die Hauptzüge ſeines Lebens .. anzuführen ... immaſſen wenn man alles mit ſeinen Umſtänden beſchreiben wollte, hierzu ein eigenes Buch erfordert würde.*

(*b*) Ita teſtatur Editor mox citati *Chronici Truchſeſſiorum*, & HENNINGES in *Opere genealogico*, p. 370. Hinc non audiendi, qui matrem *Noſtri*, *Joannam* filiam Comitis *Friderici Fürſtenbergii*, fuiſſe dicunt.

(*c*) Errat itaque *Muſæum Mazzuchellianum*, *T. I. p.* 363. & quotquot *Noſtrum* patria *Auguſtanum* faciunt.

(*d*) Ita habet *Chronicon Truchſeſſiorum T. I. p.* 104.

(*e*) CIACONIUS in *Vit. RR. PP. T. III. p.* 692. & KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 341. in hanc rem ſequentia habent: narraſſe *Jac.* PONTANO *Thomam* SELDIUM *J. V. D.* & *Cancellarium*, qui res Principis ſui *Othonis* a puero cognitas habuit: *eum, adhuc puſionem, a gerula portatum, ſacerdotibus blandiendo propius accedentibus pileum quadratum, de capite detractum, ſuo impoſuiſſe atque inter cachinnulos mirum prætuliſſe gaudium, omnibus ſpectantibus ex hoc ſigno conjicientibus, puſionem hunc magnum aliquan-*

nis crevit, quod a prima ætate propenſam ad ſtatum clericalem amplectendum voluntatem certiſſimis indiciis oſtendiſſet, mature ad optimas artes diſcendas admotus, primum *Tubingæ* ſub *Luca* LANDISTRATO, Legum Doctore, litteris operam haud dubie egregiam navavit: Inde, jam Canonicus *Spirenſis* renunciatus, eodem duce, comite vero *Wilhelmo* fratre, *Dolanam* (Tulli Leucorum) Academiam in *Burgundia* ſitam viſitavit, inter alia & linguæ *gallicæ* præceptis probe imbuendus. Ex *Galliis* in *Italiam* divertens *Patavienſem* Academiam luſtravit, ubi animi cauſſa cum doctiſſimis *Italis*, tum ligata tum ſoluta oratione certans, utriusque palmam retulit. Similiter *Paviam* ſtudiorum cauſſa adivit, & ejus *Academiæ Rector* eligi meruit. *Bononiæ* autem Juriſconſulti toto orbe famoſiſſimi *Andreæ* ALCIATI, in cujus adeo domo morabatur, tum publicis tum privatis inſtitutionibus uſus eſt: In eadem urbe etiam *Hugonem* BONCOMPAGNUM Doctorem Profeſſoremque Juris, poſtea ſub nomine *Gregorii XIII*, ſummum Pontificem audivit (*f*): atque ita audivit, *ut non modo doctiſſimis Italis admirationi eſſet, ſed & dignus judicaretur, qui inter primarios Juriſperitos doctorali laurea decoraretur* (*). Habuit per ea tempora TRUCHSESSIUS noſter, inter alios ſtudiorum ſocios, *Alexandrum* FARNESIUM, *Chriſtophorum* MADRUCCIUM, *Stanislaum* HOSIUM, omnes ſucceſſu temporis dignitate

quando ſacerdotem *evaſurum*. V. PONTANI *Bellaria Attica*. Addit alia idem CIACONIUS, quæ brevitatis cauſſa omitto.

(*f*) CIACONIUS, KHAMMIUS, HENNINGES, *Chronicon Truchſeſſorum*. *Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat. T. II. p.* 253.

(*) Ita teſtatur *Georg. Joſ.* EGGS in *Purpura docta*, *L. IV. p.* 593.

nitate cardinalitia auctos, *Vigliumque* ZUICHEMUM, Viros ſumma doctrinæ & rerum geſtarum laude præſtantiſſimos (*g*); quibus, & durantibus & abſolutis ſtudiis, perpetua dehinc familiaritate conjunctiſſimus fuit (*h*).

Quisquis ea, quæ mox dixi, accuratius expendere: & animum ad *Doctorum*, quorum inſtitutione uſus eſt *Noſter*, ingentia certe à me modo laudata nomina: ad *Commilitonum*, quos habuit famam ſummam temporum ſucceſſu adeptam: ad *Academiarum*, quas adivit, celebritatem maximam advertere voluerit; nullo negotio cognoſcet, *Noſtrum* his ducibus, his æmulis, his orbis litterarii clariſſimis theatris acriter incitatum id curaſſe plurimum, ut variarum rerum, ut linguarum exterarum, tum etiam *græcæ* ac *latinæ*, ut diverſarum ſcientiarum cognitionem ampliſſimam ſibi compararet. Hoc ut (quod ad humaniora ſtudia artesque liberales attinet) argumento quodam certiſſimo comprobem, juvat nonnulla ex ejus *Epiſtola* ad *Fridericum* TRUCHSESSIUM, fratris filium, excerpere: *Quod ſcribis, te . . tantum in gallico ſermone profeciſſe, ut . . . amo & laudo . . diligentiam tuam. Eſt*

(*g*) De tribus prioribus teſtimonium perhibent mox a me citati Auctores. De ZUICHEMO autem ipſum *Noſtrum* habemus teſtem, ad eundem *Zuichemum* in hæc verba ſcribentem: *Non poteſt nobis non jucunda eſſe memoria ejus conſuetudinis, quæ primum* Dolæ *&* Patavii *communium ſtudiorum cauſſa, deinde Auguſtæ & Wormatiæ in curandis Imperii negotiis inter nos maxima fuit.* V. PAPENDRECHT *Analecta Belgica*, *T. II. P. I. p.* 389. Et *Patavii* quidem *Zuichemum*, *Noſter* juvante *Chriſtophoro* MADRUCCIO ad profitendas publice *Inſtitutiones* promovit. Tantam videlicet habuit doctrinæ ejus fiduciam. PAPENDRECHT *T. I. P. I. p.* 94.

(*h*) Ita *Chricon Truchſeſſiorum*, *l. c.*

Eſt enim multarum, præſertim nobilium, intelligentia linguarum *tum omni homine digna, tum maxime eo, cui propter generis amplitudinem & claritatem ſuam cum multis neque ejuſdem linguæ, neque nationis hominibus agendum eſt. Sed majorem etiam curam, quam in iſto adhibes*, in latino ſermone *ponas velim, qui & pluris eſt, & .. difficilior, quam gallicus; quanquam tibi pro tuo ingenio ac ſtudio facilis erit, ſi magiſtro tuo...* Ciceronem, Cæſarem *ac* Terentium *doctores adhibueris: ſunt enim hi aut ſoli aut certe maxime probati Latinitatis auctores. Quare cum duplex ſit cognitio, altera verborum, artis altera; latina verba a tribus illis potiſſimum ſcriptoribus tibi ſumenda cenſeo: a quibus tamen, non impedio, quominus etiam artem cognoſcas, præſertim a Cicerone, qui tam multos divinitus ſcriptos reliquit libros de ratione dicendi. Sed de artibus, deque iis, qui eas præclare tractaverunt, aliis, ſi res poſtularit, ad te fortaſſis pluribus. Nunc, quod mihi jam bene maturum videtur, utrique te & diſſerendi & dicendi rationi operam dare, tantum admonendum putavi, ut in rhetoricis & dialecticis* Ariſtotele, & eo græco, doctore *utaris; nam is unus omnium optima via & ratione ſcripſit. Quod tamen ſcribendi artificium in ipſius latinis libris vix ac ne vix quidem apparet... quo magis tibi auctor ſum*, ut cum latino Cicerone græcum *conjungas* Ariſtotelem, *& iſtis itineribus*, *NB.* quibus omnes iverunt adoleſcentes doctrinæ & eloquentiæ laude præſtantes, *ad litterarum gloriam contendas - - - - -* (*i*). Quæ deinde, qualisve diſciplinarum ſublimiorum cognitio in *Noſtro* reſederit, tum ſupremus in legali ſcientia honor, tum munera & negotia, quibus adhibitus admodum celeri-

F 4

(*i*) V. *Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat. T. II. p.* 16.

leriter eſt, graviſſima evidentiſſime declarant. Sed de his poſtea enucleatius —

Finito ſtudiorum curſu, jam *Auguſtanæ* quoque Eccleſiæ canonicatum adeptus (adeptus eſt illum autem anno 1525. teſte KHAMMIO in *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 616.) *Romam* perrexit *Noſter*, ubi eximiis animi ingeniique dotibus eam nominis celebritatem eſt conſecutus, ut a *Paulo III.* Farneſiorum e gente, in *Cubicularium* intimum adoptus fuerit. Sed hæc honorum in *Noſtrum* collatorum, & munerum *Noſtro* creditorum duntaxat initia fuerunt. Etenim anno 1541. a *Carolo V.* quod præclara *Majorum ſuorum veſtigia haud ſegni paſſu inſequeretur, ſeque ad ſervitia Cæſaris totum compoſuiſſet, ſedulitatisque ſuæ ac fidei in negotiis Imperatoriis (præcipue in ea Legatione, quam nomine Cæſaris ad Ferdinandum regem Romanorum obierat, & qua cum ſatisfactione Caroli V. perfunctus fuerat) documenta dediſſet, in Conſiliarium & Familiarem continuum domeſticum ſuſceptus*: & in eo honoris gradu a memorato *Carolo V.* altero diplomate edito, triennio poſtea, jam epiſcopoli munere fungens, confirmatus eſt. Anno circiter 1542. a præfato *Paulo III.* ad *Sigismundum I.* Poloniæ regem, ita exigentibus ſecretis quibusdam negotiis, qua *Internuntius*, præ multis aliis, ablegari meruit. Inde mandatis, quæ habuerat, egregie perfectis *Romam* iter carpens, in via alium *Cubicularium* ſibi occurrentem invenit, qui narrationem de negotiis *Poloniæ* ab ipſo & acciperet, & ipſi viciſſim qua *Internuncio* Sedis Apoſtolicæ ad Comitia *Norimbergenſia*, a *Ferdinando* rege in annum 1543. pro celebratione *Concilii Tridentini* & congregandis in illud Patribus indicta, nova mandata pontificia perferret.

Eo

Eo cum ſeſe celeriter contuliſſet *Noſter*, jam tum Eccleſiæ *Tridentinæ Decanatu* ornatus; accidit, ut *Chriſtophorus a* STADION Epiſcopus *Auguſtanus*, maximi nominis vir, de quo ſuperius peculiari paragrapho egi, durantibus Comitiis vivorum e numero raperetur. Quamobrem Capitulum *Auguſtanum*, ob illorum temporum hoſtilitates *Dillingæ* tunc exulans, ut viduatæ Eccleſiæ alius Epiſcopus præficeretur, novam electionem parat: ad quam profecturus *Noſter* dum *Ferdinandum* Regem valere ad tempus jubet, is præter exſpectationem *Othonem* (in ſervitiorum a Majoribus totaque *Truchſeſſiorum* familia fideliter præſtitorum præmium) cathedræ ſecum deſtinat epiſcopali, miſſisque in eum finem *Hugone* Comite *a Montfort*, & *Gerwico* Abbate *Weingartenſi*, qui, qua Imperatoris ac Regis Romani *Commiſſarii*, *Othonem* modis, quibus fieri poſſet, optimis commendarent, effecit profecto, aliis pluribus *Principibus* idem propoſitum urgentibus, ut, tametſi duo præſtantes & epiſcopatu omnino digni Viri, *Marquardus a* STEIN, & *Philippus de* HOCHEN - RECHBERG Decanus adeſſent, tamen *Otho*, licet ætatis 30. duntaxat annum agens, his præhaberetur, & concordibus Canonicorum (probe ſentientium, difficillimis illis temporibus Eccleſiæ *Auguſtanæ* opus eſſe Viro, qui & apud Sedem Romanam, & in Aula Imperatoria multa gratia auctoritateque valeret, & negotiis regundis par eſſet) ſuffragiis, præſidentibus *Wolfgango* S. R. I. Principe Abbate *Campidonenſi*, atque *Andrea Elchingenſi* Abbate, per modum Compromiſſi mixti ſeu Scrutinii, memorato anno 1543. die 30. Maji in Epiſcopum eligeretur (*k*), ea lege: jusju-

(*k*) KHAMMIUS, STENGELIUS, CIACONIUS, *Chronicon Truch.*

rando firmaret, ſe omnia moliturum, ut Capitulum & Clerus *Auguſtanus* in urbem poſtliminio reducatur.

Hac dignitate ornatus *Otho* minime ſibi diſſerendum putavit, quin ſtatim palam oſtenderet, quantum res Eccleſiæ ſibi creditæ cordi haberet. Itaque eodem adhuc anno, quo ad epiſcopatum pervenit, die 5. Decembris *Synodum* celebravit, *inter varias* (ut ait) *quibus aſſidue augeretur, curas ad ea maxime intendens, per quæ grex commiſſus in perpetua charitate, in probitate morum decenti, ac totius vitæ puritate conſervari: denique rectis tramitibus* (*ſecluſis ex cordibus eorum errorum & peccatorum tenebris*) *incedens in viam æternæ ſalutis feliciter perduci queat.* Hanc vero *Synodos* habendi rationem regiminis ſui (*l*) tempore pluries repetivit; prout inferius oſtendam, ubi *ſcriptorum Othonis* noſtri catalogum texam. Nunc ad alia pergo.

Anno 1544. dum *Noſter* Comitiis *Spirenſibus* intereſt, pauloque ante diſſidium, Sedem *Romanam* inter & Aulam *Cæſaream* exortum, feliciter compoſuiſſet, a *Paulo III.* ſupremo Pontifice Presbyteris Cardinalibus titulo *S. Balbinæ* abſens adſcribitur, durantibusque adhuc Comitiis galero cardinalitio *Roma* miſſo condecoratur, ab hac dignitate ad majores labentibus annis pedetentim gradum faciens; nam a titulo *S. Balbinæ*, ad titulum *S. Sabinæ* translatus eſt, ubi ejus Eccleſiæ abſidem vetuſtate collapſam reſtituit, ipſamque Eccleſiam pulcherrimis picturis exornavit teſte *Inſcriptione*, quæ in Sacelli ſuperioris fornice legitur:

Otho

Truchſeſſiorum, *T. I. p.* 105. & *P. II. p.* 74. *ſeqq.* & *pag.* 530. GASSARUS in *Annal. Auguſt.*

(*l*) V. *Joſ. Ant.* STEINER *Synodic. Auguſt.* item *ejusdem Acta ſelecta Eccleſ. Auguſt.*

Otho Truchſeß de Waldburg
S. R. E. Presbyter Cardinalis,
Auguſtanus
vetuſtate collapſam reſtituit & exornavit.
MDLX.

Inde ſub *Pio IV.* ad titulum *S. Mariæ ad Tiberim* tranſiit; anno autem 1562. Cardinalis *Epiſcopus Albanenſis*, poſtea anno 1570. die 2. April. *Sabinenſis*, denique eodem anno, menſe Julio *Præneſtinus* renunciatus eſt (*m*). Sed jam alia ex annorum ordine pandam.

Abſolutis *Spiræ* Comitiis *Otho*, ab *Erneſto* Antiſtite *Saliſburgenſi* invitatus, *Saliſburgum* tetendit, cum Epiſcopis ibi in *Synodo* congregatis conſultaturus, quid reſponſi dandum foret Imperii Ordinibus, de Religionis tandem ſtabilimento, in proximo *Wormatienſi* Conventu ultimum, ut dicebant, conſultaturis, adducens ſecum *Claudium* JAJUM; ut poſtulabatur: quem, ubi rem catholicam in memorato Conventu magnopere laborare advertit, *Wormatiam* celeriter accerſivit, ejusque opera impendentem Religioni ſanctæ procellam avertit (*). Poſthæc Cardinalis *noſter Romam* ivit, haud dubie de collato in ſe honore debitas ſummo Pontifici gratias acturus. Rebus ibi geſtis in Germaniam dum revertitur, Concilio *Tridentino* initia dantur: Ad hæc *Otho Wolfgangum Andream* REHMIUM J. V. Doctorem, Canonicum cathedralem doctiſſimum (*n*), & *Claudium* JAJUM *Sabaudum*, ex primis decem *Societatis Jeſu* Patribus, virum egregium,

(*m*) KHAMMIUS, CIACONIUS, *Chronicon Truchſeſſiorum*, STENGELIUS.

(*) V. *Hiſtor. Soc. Jeſu*, *Germaniæ ſuperioris*, *T. I. p.* 14. ubi hæc fuſe narrantur.

(*n*) REHMII laudes inferius celebrabo pluribus.

gium, *Gebennenſem* Theologum, invaleſcente *Lutheraniſmo* per totum pæne biennium *Ratisbonæ* Concionatorem zeloſum, Profeſſorem Theologiæ *Ingolſtadienſem* deſtinat, ut mittentis locum ac perſonam cum pari doctrinæ, virtutis ac ſapientiæ laude ſuſtinerent (*o*). *Procuratoris* autem ſui in eodem *Concilio* onus ſubire petiit *Franciſc. Mariam* PICCOLOMINEUM Epiſcopum *Montalcinenſem.* Ipſe, e *Belgio* ad *Bojorum* Ducem profectus, cum illo de bello *Saxoniæ* Duci & Landgravio *Haſſiæ* inferendo egit: cumque per ea tempora non tam orta, quam nunquam bene conſopita Religionis diſſidia crebros Conventus, crebraque Comitia ſibi poſtularent, ut (ſi fieri poſſet) pax in Imperio ſervaretur; in illis omnibus non ſolum adſuit *Noſter*, ſed etiam ſæpius *Commiſſarii Cæſarei*, ſive *Legati* partes ſuſtinuit: uti in *Actis publicis*, & *Annalibus Imperii* paſſim legere eſt.

At, conſiliis omnibus in irritum cadentibus, tandem anno 1546. belli, quæ diu latuerat, flamma erumpit. Devaſtatur *Algovia*, duce plurimum *Sebaſtiano* SCHAERTLINO; *Dillinga* capitur; *Diœceſis* miſere affligitur; *Epiſcopus* & *Capitulum* bonis ac poſſeſſionibus omnibus exturbatur. Triſtiſſimis hiſce caſibus nil commotus *Otho Caroli V.* partibus fideli animo adhæret, Imperatorisque Achetem fideliſſimum ſeſe exhibet, adeo ut ab illius, *Ingolſtadium* obſidentis, & parte ex altera ab hoſtibus impugnati, latere nunquam diſcederet, ſæpius eum, vitæ periculis ſeſe audaciori fronte offerentem, ſerio dehortatus. Habuit etiam per ea tempora *Maximilianum* regis *Ferdinandi* filium natu

tu

(*o*) KHAMMIUS, CIACONIUS, *ll. cc.* Confer *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. III. p.* 2. 37.

tu maximum ſuæ curæ commendatum: aluit 200. equites ſub duce *Henrico a* LANDAU, peditumque quatuor turmas, quas *Henricus* TRUCHSESSIUS *a Wolſeeg* ducebat: curavit rem belli frumentariam, quæſtoribus exercitus imperatorio nomine præfectus: omnemque auctoritatem in iis civitatibus, quæ in ipſius Imperatoris poteſtatem venturæ erant, præſidio muniendis acceperat. Quod munus etſi non ambitione, nec lucri cupiditate, ſed ſola Aulæ cæſareæ reverentia in ſe ſuſceperit, tamen poſtea ex parte Acatholicorum peſſimis ſermonibus plurimum vapulavit.

Interim, Fæderatorum exercitu dilabente, belli fortuna convertitur. Cæſar novo milite auctus, plenaque, apud oppidum *Mühlberg* in *Saxonia* ſitum, adverſus *Joann. Fridericum Saxonicum* victoria potitus, *Auguſtam* in ditionem, & gratiam intercedente *Othone* noſtro, ut PANTALEO in *Proſopograph.* teſtatum reliquit, recipit, ea tamen conditione, ut *Otho* & Capitulum cathedrale, Clerusque univerſus ex decennali exilio in urbem reverteretur, eis direpta quæcunque redderentur, & damna illata compenſarentur. Itaque anno 1547. die 7. Auguſti urbem *Otho* ingreditur, anno mox ſequenti eccleſiaſticus ſummi templi *Senatus Dillinga Auguſtam* reducitur, Cleroque in integrum poſtliminio reſtituto (*p*), juramenti a *Noſtro* editi fides impletur.

Hoc

(*p*) Quisquis de his, quæ ſuperius paucis narravi, plura ſcire avet, adeat KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I.* p. 343. præprimis vero *Chronicon Truchſeſſiorum*, *P. I.* p. 106. 107. & *P. II. p.* 87. *ſeqq.* aliosque, ubi plurima ſibi inveniet. *Inſtrumentum* ipſum *Conventionis*, *Othonem* & cathedrale *Capitulum* inter, ac Senatum *Auguſtanum*, aucto-

Hoc modo pace, ad tempus parta, & quiete publica ſibi impigre utendum ratus *Cardinalis* noſter, ad res Eccleſiæ ſuæ, quam tum mala plurima, tum etiam *Anabaptiſtarum* peſtis invaſerant, in ordinem redigendas animum, cogitationesque omnes convertit. Quod ut melius efficeretur, inter alia ſtatim anno 1547. *Agendam ſeu Librum Obſequiorum juxta ritum & conſuetudinem Eccleſiæ Auguſtenſis*, cujus vetera exemplaria anno ſuperiori (1546.) *hoſtium Eccleſiæ furore fere per totam diœceſin direpta fuerant atque ſublata*, per *Alexandrum Weyſſenhorn*, *Ingolſtadii* noviter typis exſcribi curavit juſſitque. Anno deinde ſequenti, ſcilicet 1548. ad diem 12. Novembris *Synodum diœceſanam* (q) pro Eccleſiarum, Cleri & populi reformatione *Dillingæ* congregat, cujus *Statuta* anni ſequentis menſe Januario publicavit. Mox dicto anno 1548. habita prius in feſto *Theophoriæ* ſolenni & magnificentiſſima Proceſſione (ut aiunt) cui *Carolus V.* Imperator, *Ferdinandus* Rex Romanorum, Electores, Duces, Principes, Comites, Nobilesque plurimi interfuerant, ſplendore ſuo ac pietate innumeram multitudinem poſt ſe trahentes, una cum *Mauritio* Duce *Saxoniæ* in occurſum *Philippi*, *Hiſpaniarum Infantis*, nomine totius Imperii, properavit, eundem ad AAmum. Patrem *Carolum V.* honorifice deducturus (r).

Anno

auctoritate *Caroli V.* initæ videri poterit in LUNIG *Part. ſpecial. T. I. p.* 484. & in DUMONT *Corps diplomat. T. IV. P. II. p.* 337.

(q) De hac *Synodo* plura habes inferius in *Catalogo ſcriptorum*, a *Noſtro* extantium, *No. II.*

(r) *V. Chronicon Truchſeſſiorum*, *T. I. pag.* 107. De aliis hoc anno 1548. a *Noſtro* geſtis conſule STENGELIUM & KHAMMIUM.

Anno 1549. *Otho*, hortatu *Chriſtophori a* FREYBERG Canonici cathedralis, ſubin & Decani *Auguſtani*, demum Præpoſiti *Elvacenſis Societatem Jeſu* in ſuam diœceſin introduxit, *Petrumque* CANISIUM, maximi nominis virum, *Auguſtam* vocatum in ſummo templo e ſuggeſtu (*Joanne* FABRI (*s*) *Ord. Prædicat.* concionatore cathedralis Eccleſiæ anno priore fatis functo) dicere juſſit, tum hujus tum etiam *P. Pauli* HOFFAEI, ad *S. Mauritium Auguſtæ* Eccleſiaſtis, labores apoſtolicos uberrimo animarum fructu conſequente; adeo ut *Caniſium* anno 1562. ad *Concilium Tridentinum* evocatum tum ægre dimiſerit, tum brevi poſt litteris ſignificantiſſimis ad *Card.* HOSIUM datis repetierit, ſcribens: *Caniſii deſiderium ferre ſacerdotes Auguſtani jam non poſſunt, multo minus pietas & Religio.. Quare velim, ut primo quoque tempore .. redeat. Ut enim is Tridentinas Actiones juvet, tamen non tantum boni eſſe poteſt iſthic in ejus præſentia, quin plus Auguſtæ fiat in ejusdem abſentia mali* (*t*). Eodem anno Noſter *Dillingæ* (occaſione Gymnaſii *Benedictini*, *Elchinga Dillingam* tranſlati) *Seminarium* ſive Collegium juvenum, ad ordinem eccleſiaſticum aſpirantium, inſtituit: quod anno 1554. usque adeo in *Academiam* excrevit. Quare *Georg.* EDER in *Catalog. Rectorum Archigymnaſ. Viennenſ. p.* 82. ad annum 1549. bene ait: *Cœpit Academia Dillingenſis, fundata ex Lovanienſi & Ingolſtadiana...* Sed de hoc inferius agetur, ubi litterarias *Noſtri* laudes plenius exponam.

Anno

(*s*) *Joannis* FABRI Vitam in hujus *Bibliothecæ meæ Alphabeto I. p.* 62. dedi.

(*t*) V. *Jul.* POGIANI *Epiſtolæ*, *T. III. p.* 1. 70. 75.

Anno 1550. die 26. Julii prævia invocatione Spiritus ſancti, & Miſſa ab *Othone* in cathedrali Eccleſia, præſente Imperatore *Carolo V.* totaque ejus aula, Principibus & Nobilibus innummeris, celebrata Comitiis *Auguſtanis* initium datum fuit: Etiam his interfuit *Noſter*. Agebatur tum de Libello INTERIM recipiendo, qui tamen parum profuit pervicacia Acatholicorum omnes Conſtitutiones reſpuente, & *Othone* cum *Nuntiis apoſtolicis* circa novam INTERIM de Fide articulis determinationem oleum & operam perdente. Tandem Comitiis anno 1551. 13. Februarii finitis *Othone* agente, Imperatore autem jubente, ob declarationem cæſaream, pro INTERIM obſervandam, examini ſubjecti *Miniſtri evangelici*, violatæque declarationis rei inventi, urbe & ditionibus cæſareis cedere coguntur (*u*).

Hæc dum fiunt, novum bellum, anno 1552. ſubito coortum, *Eccleſiam* & civitatem *Auguſtanam* rurſus perturbat. Prætextu libertatis germanicæ a Cæſare oppreſſæ *Mauritius Saxonum* Dux & *Albertus Brandenburgicus*, cum *Henrico* rege *Galliarum* junctis viribus *Auguſtam* invadunt; Epiſcopum *Dillinga* expellunt, cum Cæſare *Oenipontum* primo, mox etiam amiſſa ibi (hoſtili direptione) Bibliotheca ac Supellectili ſua in *Carinthiam* profuge abeuntem; epiſcopales facultates omnes rapiunt, civium contra bonis parcentes; Catholicorum Eccleſias claudunt; multaque alia moliuntur, de quibus KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt T. I. Paulus a* STETTEN *ſenior* in *Chronick von Augſpurg, T. I. Chronicon Truchſeſſiorum* vernacule editum, SPONDANUS

(*u*) V. KHAMMIUM, cujus ipſiſſimis verbis in horum narratione multum uti placuit. *Paulli a* STETTEN *Chronick von Augſpurg. T. I.* ubi hæc fuſe deſcripta inveniuntur.

DANUS in *Annal.* videri poterunt: ubi Lector hæc ſingillatim perſcripta inveniet.

Quivis hactenus narrata ſecum expendens, facile cognoſcet, fieri haud potuiſſe, quin tum per duplicis internecini belli graviſſima, quæ *Noſter* paſſus eſt, incommoda; tum per ſplendidiſſimas & utiliſſimas Fundationes, quarum curandarum neceſſitatem per difficillima illa Reipublicæ catholicæ tempora ſibi (pro muneris, quod obibat, ratione) maxime impoſitam eſſe credidit, proventus epiſcopales vehementer attererentur. Ea res fecit, ut Capitulum cathedrale ipſam adeo cogitationem Præſulis ſui a ſede epiſcopali dimovendi ſuſcceperit; quæ tamen, lite brevi poſt compoſita, exitu penitus caruit. Rebus ſic transactis, novis *Noſter* honoribus augetur. Sic Præpoſitus *Elvacenſis* (idque anno 1553.) renunciatur. Sic *Herbipolenſem* Præpoſituram obtinuit. Sic anno 1558. per liberam Reſignationem *Hieronymi Buslidii* Præpoſiti *Albanenſis*, qui eodem anno *Romæ* obiit, *Friſingenſis* Præpoſitus factus eſt. Sic in *Spirenſi* Eccleſia ad *Cantoris* dignitatem proceſſit (dimiſſis nonnullis aliis Beneficiis eccleſiaſticis) & *Nationis Germanicæ Protector* (x) in Urbe conſtitutus eſt: inſuperque,

(x) E Cardinalium Collegio regnorum *Patroni* ſeu *Protectores* ab ipſis regibus eliguntur. Geſſit autem *Germaniæ* patrocinium TRUCHSESSIUS *Ferdinandi* Imperatoris renunciatione: ad quem anno 1560. 6. Kal. Febr. in hæc verba ſcripſit: *Quoniam . . pro officio* Patrocinii *mei, proque neceſſitudine florentiſſimæ nationis, meæ ſunt etiam partes niti curareque . . ut ampliſſimorum populorum utilitati dignitatique conſulatur; quantum mente, ſtudio, labore, gratia contendere potero, certe efficiam, ut omnes intelligant, mihi . . quietem & incolumitatem præſtantiſſimæ gentis jucundiſſimam*

que, ut magis haberet, quo dignitati & faſtigio, quod tenebat, convenienter viveret, annuam 5oco. Aureorum *Penſionem*, ex redditibus Archiepiſcopatus *Toletani* a *Carolo V.* ſibi aſſignatam habuit. Sed ad alia revertatur oratio —

Anno 1555. *Otho* noſter rurſus Comitiis a *Ferdinando* celebratis, *pro delecto ex parte Catholicorum Principe* deſignatus, interfuit: audita vero *Julii III.* morte, una cum Legato apoſtolico & Cardinale, *Morono*, *Romam* abiit, relicta prius propria manu ſubſcripta, & per Cancellarium ſuum *Conradum* BRUNUM (y) Principibus in Comitiis congregatis offerenda *Proteſtatione*, quod *in propoſitas Notulas, ſeu Media Religionis, & quidquid ei adhæret, in dogmatibus, jurisdictionibus, rebus aut perſonis multum vel parum conſentire nec poſſit nec velit.* Eam integram exhibet KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. T. I. p.* 348. Ego reliqua hoc loco brevitatis cauſſa omitto. Fuit autem hæc Epiſcopi noſtri, *Romæ* diutius poſtea morantis, *Proteſtatio* occaſio iniquæ ſuſpicionis & cauſſa, cur is famoſo libello edito calumnioſe accuſaretur, ac ſi *Paulum IV.* exteroſque Principes adverſus *Imperium*, & præcipue adverſus protectores *Proteſtantium* ad bellum concitaſſet. Redux *Roma Otho*, innocentiam ſuam tuendam ſibi ducens, Librum anno 1556. ſeu Apologiam edidit (V. Inferius in *Catalogo Scriptorum Noſtri*, *No. VII.*) qua adverſariorum calumnias confutavit, confirmans quidem priorem *Proteſtationem*

atque antiquiſſimam eſſe... V. *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. II. p.* 11. De reliquis ſuperius dictis confer KHAMMIUM, *Chronicon Truchſeſſiorum P. I. & P. II.*

(y) De *Conrado* BRUNO infra fuſius, idque pro merito, agam.

tionem ſuam, ita tamen ut *ſe erga quoſcunque in conſtanti concordia & pace perſeveraturum* polliceretur: prout & in priori pollicitus fuerat his verbis: *Fatemur & declaramus hoc noſtro chirographo, quod omnem amatam pacem efficaciter promovere, & ex noſtra parte fideliter ſervare, neque erga quemlibet hoſtile aliquid moliri velimus.* Adierat autem *Otho Romam*, ut electioni novi Pontificis intereſſet; quem, in Urbem adveniens, *Marcellum II.* eſſe intelligit; at eo, primo ſtatim ab electione menſe, fatis fungente ſua *Noſter* auctoritate (z) effecit maxime, ut ſuprema iſta Eccleſiæ dignitas in *Paulum IV.* devolveretur, quocum poſtea per longius temporis ſpatium ſuper *Reformatione* conſiliis collatis anno demum 1556. *Auguſtam* remeavit.

Elapſo triennio, *Ferdinandus* Imperator fratri ſuo *Carolo V.* apparatu longe ſolenniſſimo ſuprema juſta *Auguſtæ* anno 1559. perſolvit, *Othone* ſacris operante. Eodem anno idem pietatis officium a *Ferdinando* Imperatore ſorori *Mariæ* præſtitum fuit, rurſus adhibita in id *Othonis* opera. In *Comitiis* autem *Auguſtæ* hoc anno habitis *Noſter* abſentibus reliquis pontificiis Miniſtris Religionis onus unus, nec ſine Eccleſiæ commodo, ſuſtinuit: &, cum *Imperii* Principes in id conveniſſent, ut duo Legati, unus ex Catholicis alter ex Acatholicis, ad *Henricum II.* Regem *Galliarum* mitterentur, qui ab eo civitates *Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem*, aliaque Imperio ablata repeterent; huic Legationi obeundæ *Noſter* una cum *Chriſtophoro* Duce *Wirtembergico* deſtinatus fuit. Quam gravis ea in re lis

 Chri-

(z) Ita teſtatur PALLAVICINUS in *Hiſt. Conc. Trident. L.* 13. *c.* 11. Confer *Chronicon Truchſeſſiorum*, *P. II.* p. 84. 85.

Chriſtophorum inter & *Othonem* (Cardinalis cujusdam *Noſtro* infenſiſſimi turpi machinatione) exarſerit, & qua illa ratione tum compoſita, tum etiam *Noſtro* abs memorato Cardinale ſatisfactum fuerit, fuſe deſcriptum habes in *Chronico Truchſeſſiorum*, *P. I. p.* 111. 112. & *P. II. p.* 86. Interim, *Legatione* illa etiam aliis de cauſſis exitum non ſortita, *Pauloque IV.* vivis erepto iterum *Romam* properavit *Noſter*. Manſit autem ibi annis 1560. 1561. 1562. intra quod temporis intervallum accidit, ut *Othonem Senatus Populusque Romanus*, tanquam *rebus omnibus ampliſſimum*, *deque nomine Romano optime meritum* una cum fratre *Guilielmo*, *omnibusque Truchſeſſiis in Waldburg*, *filiis*, *ac poſteris eorum* ultro ac ſponte in *Civitatem Romanam* adſcriberent, hac etiam addita clauſula: *cenſere Senatum Populumque Romanum*, *ſe non tam illis jus Civitatis largiri*, *quam debitum reddere*: *neque magis beneficium dare*, *quam ab illis accipere*, *maximasque omnino eis gratias & agendas & habendas eſſe*, *qui*. *hoc Civitatis munere accipiendo*, *ſingulari Civitatem ornamento atque honore affecerint.* Similem in modum PIUS IV. Pontifex anno 1560. die 5. Julii dignitatem *Legati a latere in Eccleſia Auguſtenſi*, *Civitate*, *& Ditione totius familiæ Truchſeſs Baronum in Waldburg* conferre *Noſtro* dignatus eſt (*a*). Per ea tempora quoque factum eſt, ut *Otho* inter eos Senatores, qui *S. Inquiſitionis* tribunali præeſſent, relatus, & controverſiæ (in ſolenni Juramento,

(*a*) *Inſtrumentum* integrum, uti & *Epiſtolam Truchſeſſiorum* euchariſticam habes in *Chronico Truchſeſſiorum*, *P. I. p.* 113. 114. *Epiſtola* eorum euchariſtica habetur etiam inter *Jul.* POGIANI *Epiſtolas & Orat. T. II. p.* 116. De dignitate *Legati a Latere* vide *Chronici Truchſeſſiorum P. II. p.* 87.

to, ab electi Imperatoris *Maximiliani* Legato Pontifici præſtando, natæ) ſedandæ præfectus ſit. Præterea *Conſultationibus* de Rebus *Tridentinæ Synodi*, *Romæ* habitis, quandoque adhiberi meruit (*b*). Neque rerum Eccleſiæ ſuæ *Auguſtanæ* incurius, anno 1562. in *Conventu Circuli Suevici*, abſens, præſentem ſe ſtitit per *Commiſſarios* ſuos, quibus injunxerat litteris *Roma* die 17. Januar. datis, ut *Proteſtationem*, bis jam a ſe editam, tertio repeterent.

Confectis in Urbe rebus, reditum meditans *Cardinalis* noſter a *Maximiliano II.* Romanorum rege mandatum accipit, ut filios ejus binos, *Rudolphum* & *Erneſtum* Archiduces, in Hiſpanias deduceret, regique *Philippo II.* ſiſteret, in eo regno, quippe proximos hæredes ejus, educandos. Itaque *Noſter*, nulla interpoſita mora, in eorum occurſum *Brixinam* contendit, receptosque, per *Italiam*, *Maſſiliam* ducit. Ibi, vere anni 1564. conſcenſa navi *Barcellonam* appellunt, & a *Philippo* magnifice excepti *Madritum* usque penetrant (*c*). *Noſter*,

 maxi-

(*b*) Dum *Concilium Tridentinum* habebatur a Patribus, *Pius IV.* de ſingulis, quæ in eo agebantur, & quæ deinceps parabantur, rebus certior factus per Legatos ſuos, *Tridentinis Actionibus*, etſi abſens, quodammodo intererat, illisque tanquam ſupremum Eccleſiæ Caput ſumma prudentia & æquitate moderabatur. Adhibuit autem in conſilium varios Cardinales. His ergo *Conſultationibus* aliquibus, non omnibus (quod doluit) intereſſe permiſſus eſt *Noſter*. V. *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. III.*

(*c*) V. *Chronicon Truchſeſſiorum*, *P. I. p.* 114. 115. *Corb.* KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 353. duobus ſupra memoratis Archiducibus addit & tertium, *Matthiam* ſcilicet: hosque tres a *Noſtro* non ſolum in *Hiſpaniam* ductos, ſed etiam reductos fuiſſe monet. Sed vereor, ne hæc omnia minus ex vero ſcribat. Confer *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. III. p.* 319. 367.

maximis honoribus donisque affectus, facto mari itinere, *Genuam* reverſus in ea quoque urbe ſummis honoribus habetur. Inde *Mantuam* & *Oenipontum* tranſiens *Viennam* tendit, *Maximiliano* de itineris ſui ſucceſſu relaturus, ſimulque *Genuenſes* in Cæſaris, qua illi exciderant, gratiam reducturus. At cum *Ferdinandum* Imperatorem morti proximum & magnam animam in ſingula momenta exhalantem comperiſſet, *Monachium*: ibique abs *Alberto* Bavariæ Duce ejusque filio *Wilhelmo*, quorum intima gratia arctiſſimaque amicitia fruebatur, honorificentiſſime habitus *Dillingam* redit.

Anno dehinc 1565. *Otho Concilii Tridentini*, quod anno 1563. 4. Decembris finem acceperat, *Decreta* promulgavit, & per diœceſin ſibi commiſſam obſervari juſſit, *Alberto Bavariæ* Duce mutuam in id operam conferente. Poſt quæ in *Italiam* ad novi Pontificis (*Pii V.*) electionem profectus, primum anno 1566. menſe Februario *Auguſtam*, ad Comitia *Imperii* a *Maximiliano II.* indicta rediit, a mox memorato Imperatore maximis gratiæ & favoris teſtificationibus receptus. Facto autem Comitiis fine, *Dillingam* ſe conferens, tum ibi, tum per *Elvacenſem* ditionem morum reformationi, verbi divini (*) prædicationi, Sacramentorum adminiſtrationi, aliisque functionibus epiſcopalibus (raro per ea tempora exemplo) ſtrenue inſudavit. Præcipuam vero operam in eo collocavit, ut *Tridentina Decreta* ex amuſſim ſervarentur, quibus quo ſuus honos obſervantiaque magis firmaretur,

(*) *Noſtrum* ſacro hoc munere in vita ſæpius perſunctum eſſe, teſtatum reliquit etiam *Joannes* FABRI Scriptor ſynchronus in *Nuncupatoria* ad *Noſtrum* Libelli: *Chriſtliche Unterweiſung an die Wiedertäufer*.

tur, *Synodo diœceſana* (*d*) anno 1567. habita, plurimum cavit. Eodemmet anno *Cardinalis* noſter *Ulricum* Comitem *de Helfenſtein*, una cum fratre, habito per tres hebdomadas cum eo de orthodoxa Fide colloquio, ita argumentorum & doctrinæ pondere convicit, ut, dogmatibus novis relictis, Religionem avitam omnibus ſuis Subditis amplectendam mandarit, pertrahens hoc ſuo exemplo in Eccleſiæ gremium GABLERUM Doctorem Medicinæ & Profeſſorem *Tubingenſem* (*e*) Virum præclariſſimum. Neque illud ſilentio prætereundum mihi eſt, *Othonem* hoc eodem anno 1567. Decano & Capitulo Eccleſiæ *Colonienſis* a *Pio V.* impenſiſſime commendatum fuiſſe, ut archiepiſcopalem mitram ei potiſſimum conferrent. Quæ commendatio etſi eventu caruerit, tamen præclara & magnifica laus *Noſtri* eſt, eum ſummi Pontificis judicio ac teſtimonio dignum fuiſſe, cui tanti Archiepiſcopatus gubernatio committeretur (*).

Interim variis ædificiis ſtructis, variis prædiis coemptis, variis aliis impenſis factis accidit, ut *Cardinalis* denuo ære alieno gravatum ſeſe ſentiret. Hujus diſſolvendi ut, comparſis redditibus epiſcopalibus, expeditior facultas fieret, rurſus per aliquod temporis ſpatium excedere diœceſi conſtituit; quam a ſe, urgente ineluctabilis fati neceſſitate, nunquam reviſendam anno 1568. (aliis anno 1569.) linquens *Romam* perrexit. Ibi cum *Alexandro* FARNESIO Cardinale, *Domum profeſſam Societatis Jeſu* erigente, pro ſingulari, quo in eam Societatem pro-

G 4 pende-

(*d*) De hac vide inferius in *Catalogo Scriptorum Noſtri*, *No. X.*

(*e*) De GABLERO honorificam mentionem facit CRUSIUS in *Annal. Suevic. p.* 570. 653. 711.

(*) V. *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. IV. p.* 313. & *ſeqq.*

pendebat, affectu animi primum lapidem poſuit. Præterea *Archiſodalitatis SS. Trinitatis Convaleſcentium de Urbe* patrocinium geſſit; electioni *Gregorii XIII.* ſui olim Profeſſoris, interfuit; & in omni virtutum genere ſeſe exercuit(*). Quamquam autem ab Eccleſia ſua *Auguſtana* longe abeſſet corpere, ſpiritu tamen eidem præſentiſſimus, inter alia *Agendam* ſeu *Rituale Auguſtanum*, quod excudi ipſa neceſſitas denuo poſtulabat, a delectis aliquot ſacræ Theologiæ & Juris canonici, rerumque eccleſiaſticarum peritis Viris recognoſci ac emendari juſſit: idque *Romæ* legit, lectum approbavit, approbatum in *Germaniam* remiſit typis vulgandum; cui propoſito cum heu! immortuus eſſet *Noſter*, illius adimplendi honorem ſucceſſori *Marquardo a* BERG (Vide ſuperius *pag.* 28.) relinquere coactus eſt.

Sic Princeps nunquam ſatis laudandus, cum innumeras hominum technas & injurias evaſiſſet, ac, quantum temporis perverſitas & iniquitas patiebatur, officia ſua oppido ſublimia non minus feliciter, quam ſtrenue impleviſſet, jam reditum in *Germaniam* cogitans, anno 1573. die 2. Aprilis hora diei 15. celeri morbo extinctus, laborioſam vitam æterna requie commutavit. Demortuo debitas laudes *Gregorius* ROSEFFIUS *Auguſtæ*: *Dillingæ* duo Profeſſores Theologiæ in *Parentalibus* de cathedra: *Jac.* PONTANUS in *Epicediis* typo vulgatis dixerunt.

Corpus exanime in *S. Mariæ de Anima*, *Teutonicæ Nationis*, templo inhumatum eſt, addito ſequenti Epitaphio:

D. O. M.

Othoni Cardinali Truchſeſſio Epiſc. Auguſtano,
Sacri

(*) Qui de virtutibus *Noſtri* plura ſcire cupit, adeat citatos a me Auctores.

Sacri Romani Imperii Principi integerrimo,
Et ab omnibus
Propter excelſos animi dotes, virtutem,
Clementiam, amabilitatem ingenii, & morum
Præſtantiam amabili.
Obiit anno M.D.LXXIII. de menſe Aprili.
Laurentius Siradeus,
Donec dignum erigatur monumentum,
Gratitudinis ergo adſcripſit.

Quadraginta circiter annis poſt Oſſa *Noſtri Joann. Godefridus*, *Bambergenſis* & *Herbipolenſis* Epiſcopus, *Matthiæ* Imperatoris ad *Paulum V.* Legatus, *Auguſtam* ſecum deduxit. Inde ea *Henricus* Epiſcopus *Auguſtanus* anno 1614. ſolenni pompa *Dillingam* transferri curavit, condenda in templo, quod juxta Academiam ſane magnificum exædificavit, ut quam *Otho* abiens & peregre moriens mæſtam reliquit filiam, eandem deinceps ſaltem ſui corporis reliquiis, ceu theſauro optatiſſimo, conſolaretur. Tumulus ſequentibus verſibus inſcriptus fuit:

Muſa & *Viator.*

V. *Ecquis in hoc mauſolæo, Dea! clauditur Heros?*
M. *Delicium heu! Superum, deliciumque hominum.*
Otho, decus patriæ, fama ſuper æthera notus.
Otho Teutonices gloria lausque ſoli.
V. *Cur tumulus tantum madidus?* M. *Quia mortuus Otho eſt,*
Orbis ſingultu totius & lacrymis.
V. *Ante alios quare hunc tanto dilexit amore?*
M. *Quod pius ante alios, integer ante alios.*

Denique anno 1657. *Sigismundus Franciſcus* ex Archiducibus *Auſtriæ*, Epiſcopus *Auguſtanus*, auguſtam, quam Majores ejus, *Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II.* Imperatores ſummi *Othoni* noſtro viventi clementiſſime impenderant

 grati-

gratiam, ceu hæreditate in ſe transfuſam, mortuo quoque impenſurus laterale monumentum ad aram *S. Hieronymi* parieti infigi curavit, his verbis perſcriptum:

Sigismundus Franciſcus,
Archidux Auſtriæ, Epiſcopus Auguſtanus.

Otho
S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Auguſtanus,
Præpoſitus & Dominus Elvacenſis,
S. R. I. Dapifer hæreditarius, Baro in Waldburg &c. &c.
Ad hanc aram requieſcit,
inde, cum ſonuerit ſuprema tuba,
Quam cum S. Hieronymo ſemper in mente habuit,
ſurrecturus ad Judicium:
In quo Religionis catholicæ zelus, paſtoralis ſollicitudo, virtus ſuis numeris in Principe raro abſoluta reum eſſe non ſinet.
Fundavit in hac urbe bono publico Academiam Hieronymianam, & Collegium Societatis Jeſu.
Natus die 14. Februarii anno Chriſti 1514.
Factus Epiſcopus Auguſtanus anno Chriſti 1543.
Mortuus Romæ die 2. April. anno Chriſti 1573.
Quo
Sol annuus ipſi gentilitius,
Quinquageſies novies circumactus,
Nativa terræ mole oppreſſus poſtremo occubuit.

Prædeceſſoris memoriæ impoſuit anno 1657. (*f*)

Fuit *Otho*, fuit profecto tum *Germanicæ* Eccleſiæ, tum *Imperii* illuſtriſſimum ſydus: cui utrique, regnantibus tribus Cæſaribus, pluribusque ſummis Pontificibus, etiam cum vitæ bonorumque ſuorum diſpen-

(*f*) CIACONIUS & KHAMMIUS, *l. c.* Quoad diem *Noſtri* natalitium hoc *Epitaphium*, &, quæ ex *Chronica Truchſeſſiorum* initio *Vitæ* hujus monui, non concordant.

diſpendio fidiſſimam operam impendit, ob id ab his iisdem, uti & Archiducibus *Auſtriæ*, Ducibusque *Bavariæ* ſingulari honore habitus, intimaque amicitia dignatus. Fuit non *Germanis* ſolum ſuis, ſed etiam *Italis*, *Gallis*, *Hiſpanis*, *Belgis*, ipſis etiam hoſtibus ſuis, ſummæ admirationi. Interſuit *quatuor* ſummorum Eccleſiæ Antiſtitum electionibus. *Tribus* ſereniſſimis nuptiis, nimirum *Alberti* Ducis *Bavariæ* cum regina *Anna* Auſtriaca: *Wilhelmi* Ducis *Juliacenſis* & *Clivenſis* cum *Maria* Auſtriaca *Ratisbonæ* celebratis: *Wilhelmi* Ducis *Bavariæ* cum *Renata* Lotharingica *Monachii*, & his poſtremis quidem ſplendidiſſimo Aulicorum comitatu (g) ſtipatus, benedixit. Nonnullos præterea *Bavariæ* Principes infantes ſacro de fonte levare meruit. Fuit ſtatura parvus, animo & ingenio magnus, inque agendo ſtrenuus: & quamvis moriens multa poſt ſe debita, at ſimul tantam frumenti vinique copiam per diœceſis granaria cellasque reliquit, ut æris alieni, quod contraxerat, diſſolvendi ratio facillima fuerit (*h*).

Habes, Lector optime! Vitam *Othonis* brevi deſcriptam ſtylo; cum ea ſolum ex immenſa rerum a *Noſtro* geſtarum multitudine ſelegerim, quæ majora dignioraque viſa ſunt: idque tum ut amicæ brevitati ſtuderem, tum quod integrum *Volumen* ægre mihi ſufſecturum crediderim, ſingula ſi fuſius pandere voluiſſem. Quod ſi reliqua accuratius cognoſcendi cupiditate teneris, rogatum te velim, ut eos Scriptores, quos per narrationis decurſum *in*

Notis

(*g*) Comites hujus itineris ab *Othone* aſſumptos ex *Hannardo* GAMERIO nominatim recenſet *Car.* STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 287.

(*h*) Ita teſtatur *Chronicon Truchſeſſiorum*, *P. I. p.* 116. 117.

Notis citare minime intermiſi, adire non graveris. Ego fontes hos indicaſſe ſatis habeo, calamumque ad litterarias *Noſtri* laudes, plurimas illas maximasque, exponendas converto; ita ut encomia, quibus Viri doctiſſimi, tum veteres tum recentiores, *Noſtrum* in cælum usque extulerunt, addere nequaquam omiſurus ſim.

Sectio II.

Merita Noſtri in Rempublicam litterariam, & Doctorum encomia in Noſtrum.

Rem actam agerem, ſi, quæ ſtatim initio de viſitatis a *Noſtro Academiis*: de *linguarum* & *Legum*, quam ſibi is paravit, intelligentia: de *humaniorum litterarum*, qua multos antecelluit, cognitione monui, hic repetere vellem: præſertim cum ea omnia multis ampliſſimisque teſtimoniis confirmata habeamus, tum alia ſint plurima, quæ modo pandam.. Fuit *Otho* maxima ſingularique doctrina, fuit ſtupenda laboris aſſiduitate, fuit tum artis *muſicæ* tum *architecticæ* peritiſſimus. Dum adhuc junior in Italia morabatur, eum Academici,qui ſemet *Affidatos* dicunt) dignum judicarunt, quem in album ſuum *Papiæ* referrent. Adultior *SS. Patrum, Auguſtini* præcipue & *Hieronymi*, lectione plurimum eſt delectatus, doctosque variarum nationum Viros perpetim ſecum habuit, quibuscum amiciſſime converſabatur (*i*). Quantum litteris & litteratis deferret, aperte oſtendit, quando *Viennam* proficiſcens, anno 1557. honoris cauſſa Academiam *Ingolſtadienſem* adivit, ibique Diſputationem publicam theologicam, abs *Hermanno* TYRRHAEO inſtitutam, ſua dignif-

(*i*) *Chronicon* mox citatum, *P. I. p.* 117.

digniſſima præſentia cohoneſtare voluit, probe cognitum habens, his rebus tum Profeſſorum tum Auditorum animis ad ſtudia ſtrenue proſequenda acres ſtimulos admoveri (*). Idem honoris genus ſuæ quoque Scholæ *Dillinganæ* impendit: ubi eum multoties ſcholaſticas Lectiones ſua præſentia ornaſſe, & diſputationes publicas argumentis in contrarium cum maxima doctrinæ laude propoſitis animaſſe, paulo inferius ex PANTALEONE diſcemus.

Atque ut ad ea, quibus de Republica litteraria bene mereri conatus eſt, propius accedam; *primo* Noſter in id dedit operam, ut diverſi, tum utilitate tum eruditione, commendabiles Libri in publicam lucem emergerent: Horum e numero ſunt *Stanislai* HOSII Cardinalis Scripta, de quibus eidem *Noſter* anno 1562. pridie Idus Martii *Roma* ſcripſit: *Cum ſæpius egiſſem cum novis impreſſoribus*(Paulo Manutio) *ut libros tuos edendos ſuſciperent, mihique iidem ſemper reſpondiſſent, ſibi non licere; quod tantummodo veterum Scriptorum voluminibus addicta eſſet impreſſio, cepi conſilium, de ea re ad Pontificem referendi: quod cum facerem, opportune* Moronus, Tranenſis (*Jo. Bernardin.* SCOTTUS *ab Archiepiſcopatu Tranenſi ſic dictus*) *&* Amulius *Cardinales, qui illi muneri præſident, affuerunt. Sic igitur egi, eam eſſe virtutem ac doctrinam tuam &c. &c. Quid quæris? Impetravi rem libentiſſimo Pontifice... Poteris itaque librorum, cum tibi commodum fuerit, partes emendatas Romam mittere, ut illis etiam animi & ingenii tui imaginibus illuſtretur Romana librorum impreſſio* (*k*). Horum e numero eſt *Conciliorum Editio Colonienſis*, de qua eidem HOSIO *Noſter* anno

1561.

(*) V. *Annal. Academiæ Ingolſtad. T. I. p.* 250.

(*k*) V. *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. III. p.* 38. *ſeqq.*

1561. 1. Novembr. ſcripſit: *Quod ſcribis de eo adjuvando, qui Conciliorum librum & locupletiſſimum & emendatiſſimum edere cupiat; ego libentiſſime agam &* cum Sirleto *& cum* Borromæo, Amulio, *ceterisque Cardinalibus, qui & librorum impreſſioni & Vaticanæ Bibliothecæ præpoſiti ſunt, ut quibuscunque rebus conſilium & inſtitutum ejus, quem mihi commendas, juvari poſſit, juvandum curent* (*l*).

Alios *dein* libros in uſum Cleri & Diœceſis ſuæ conſcribi, vel typis in typographæo, quod per *Sebaldum Mayer* inſtruxerat, nitido illo admodum & artificioſo, imprimi juſſit. Sic *Petrus de* SOTO Ord. Prædicatorum SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor *Dillingæ*, Vir *Noſtro* acceptiſſimus, Librum *de Inſtitutione Sacerdotum. Compendium chriſtianæ doctrinæ. Explicationem eccleſiaſtici cultus, præcipue S. Miſſæ &c.* juſſu atque auctoritate *Othonis* vulgavit (*m*). Sic *Jacobi* ILLECINI (fors verius *Jacobi* NOGUERAE) *de Eccleſia Chriſti ab hæreticorum conciliabulis dignoſcenda Libros duos, antehac nunquam editos, Dillingæ*, apud *Sebaldum Mayer*. 1560. *Otho* noſter excudi juſſit (*n*). Sic *Card.* HOSII Librum *de Confeſſione catholicæ Fidei*, ſemel & iterum *Dillingæ* imprimendum curavit (*). Sic *Preces Eccleſiæ in Supplicationibus publicis ac Proceſſionibus, cum ad gravia mala* (Turcarum præcipue irruptionem) *depellendam Dei gratiam implorare contendunt, adhibendas*, in 8°. *Dillingæ*. 1566. typis exſcribi præcepit. In hunc cenſum etiam venit *Tractatus de Adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ*: & *Claudii* JA-

JI

(*l*) V. POGIANI *Epiſt. T. II. p.* 349.

(*m*) V. KHAMM in *Hierarch. Auguſt. T. I. p.* 353.

(*n*) V. POGIANI *Epiſt. T. II. p.* 205. *& ſeqq.*

(*) V. *Præfationem* laudati *Libri.*

JI *Speculum Præſulum*, quod non ſolum moribus, ſed etiam typis expreſſit: item *Catechiſmus Romanus.. ad Parochos Pii V. P. M. juſſu editus.* Alios *denique* ſuopte ipſius ingenio ſcripſit, aut ab aliis ſcriptos, a ſe autem præfixis Epiſtolis, aut (ſi mavis) Præfationibus adornatos prælo ſubjecit; quam operam veluti obſtetriciam pluribus, ex mox memoratis Opuſculis, impendit. Sed de hoc inferius *Sectione III.* videbimus. Quod ſi peſtifer aliquis liber in vulgus exiviſſet, id laboris ſibi cito ſumpſit, ut ad eum confutandum Vir quidam doctus calamum arriperet. Sic *Matthæi* JUDICIS, *Jenenſis* Academiæ Profeſſoris, Librum *maledicentiſſimum*, ſibi e *Germania* allatum, *Mantuano*, *Varmienſi*, & *Seripando* Cardinalibus, Concilii *Tridentini* Legatis, mittere non omiſit, una cum litteris urgentiſſimis: curarent, ut Viri illius audacia ſcripto in contrarium edito retunderetur; quod ipſum anno 1562. MUTIUS *Juſtinopolitanus* egregio Opere vulgato præſtitit (*o*).

Quantum vero id cordi habuerit, ut adoleſcentes ad omnem probitatis & ſcientiarum culturam bene formarentur, in ſuis, ex fratribus binis, Nepotibus luce meridiana clarius oſtendit: utpote quos non ſolum litteris ſignificantiſſimis, ut ad pietatem juxta ac ſtudia omnibus viribus incumberent, exſtimulavit; ſed etiam moderatores eorum, *Joannem* SPAZIUM unum, alterum *Adrianum* BESEMERUM, quibus poterat, modis eſt cohortatus, ut pro bona eorundem educatione ſolliciti excubarent (*p*). Quin imo ſex Nepotes, tres ex fratre *Wilhelmo*, totidemque ex fratre *Georgio* ſecum in aula ſua habuiſ-ſe,

(*o*) V. POGIANUM *l. c. p.* 357. 358.
(*p*) V. *Eundem*, *T. II. & III.*

ſo, eum repperio; ut laudabilibus Patrui veſtigiis inſiſtere mature aſſueſcerent (*q*). Neque ſatis habuit, iſtam ſollicitudinem ſuis tantum familiaribus ac neceſſariis impendere; ſed eam univerſis impertiri voluit. Ob eam rem tum ubivis locorum, præſertim *Romæ* in Collegio *Germanico*, pueritiæ in litteris ac pietate inſtitutionem ſingulari cura fovit, promovitque (*r*); tum etiam *Dillingæ Seminarium* juvenum, ad ordinem eccleſiaſticum aſpirantium, anno 1549. inſtituit, ut juventus in lubrica ætate, illis maxime temporibus, quibus perverſa dogmata ac vitia invaluerant, a malo & ſervaretur illæſa atque incolumis: & probos mores optimasque ſcientias edocta, ubi de prætexta ad virilem ætatem perveniſſet, quæ ipſa didicerat, perpetua quadam nec interrupta ſerie in alios diffunderet. Præfecit autem *Seminario* huic *M. Petrum Endavianum*, Virum inſignem, accerſitis aliis Profeſſoribus, qui alumnos ad bonas artes & ſacrum Theologiæ ſtudium informaret; quos inter primus fuit *Petrus de* SOTO *Hiſpanus*, familiæ *Dominicanæ*, cujus ampliſſimas tum virtutis tum doctrinæ laudes ab ECHARDO & QUETIFIO diſcere licet. Cum autem res illius *Seminarii* feliciter ſuccederent, *Suevorum* Nobilitas ſibi gratulata, petiit ab Epiſcopo Cardinale, ut ſuos etiam liberos alumnis jungeret, una cum ipſis erudiendos ac bonis litteris imbuendos, adeo ut nonnunquam trecenti in illo contubernio adoleſcentes ſimul degerent. Interim *Otho* cœptis gnaviter inſiſtens,

(*q*) V. *Chronicon Truchſeſſiorum*, *P. I.* p. 115. Dolendum magnopere, unum horum, *Gebhardum*, *Colonienſem* Archiepiſcopum, turpiſſimo fine vitam anteactam commaculaſſe.

(*r*) Hiſtoria *Provinc. Soc. Jeſu*, *German. ſuper.* *T. I.* p. 141. EGGS; in *Purpura docta*, *L. IV.* p. 593.

ſtens, poſt ENDAVIANUM, eidem *Seminario Cornelium* ROSENDALIUM, alio nomine *Harlemium* vel *Herlenium* anno 1551. præpoſuit, qui aliquammultis annis hoc munere egregie functus eſt: ipſe vero anno 1553. *Statuta Collegii eccleſiaſtici in Oppido Dilingæ Auguſtenſ. Diœceſ. Provinc. Mogunt. ſub invocatione S. Hieronymi nuper erecti* condidit, & *Romæ* in 4to. typis (V. Inferius in *Catalogo Scriptorum Noſtri*, *No. V.*) procudi fecit, nil antiquius habens, quam ut iſtud *Seminarium*, ſive Collegium optatiſſimos fructus copioſe progigneret: cujus rei luculentiſſimo documento eſt *Epiſtola parænetica* a *Noſtro* (V. *Jul.* POGIANI *Epiſt. T. II. p.* 193.) ad *Rectorem*, *Magiſtros & Diſcipulos* ejusdem ſcripta; ex qua nonnulla hic excerptim dare, e re erit. Ait ergo: *Etſi non dubitabam, quin, & voluntatis meæ & veſtri officii memores, certatim univerſi gloriæ Dei & communi omnium noſtrum laudi ſerviretis; tamen abundatia quadam meæ erga vos benevolentiæ, & incredibilis cupiditas, ut Collegii noſtri dignitas propagetur, & ad totius Germaniæ exemplum juventus erudiatur veriſſimis & optimis morum doctrinæque præceptis & inſtitutis, fecit, ut currentes vos in iſto laudis & induſtriæ curſu, tanquam facibus quibusdam amoris mei, inflammandos putarem. Et quidem a te, Rector & Collegii Moderator! faciendum duxi initium non jam hortandi, ſed laudandi tui: qui cum ceteris præſis, virtute etiam præſtas.... Neque vero tu, ſacrarum divinarumque litterarum Magiſter & Interpres! eges hortatore aut monitore tui muneris, cujus religio ac ſcientia, quaſi clariſſimum lumen, elucent: quibus & Collegii nomen illuſtras, & eorum, qui tibi dant operam, alis animos, mores conformas.... Tum vero vos alii, qui præclaro iſti muneri præeſtis docendæ atque inſtituendæ juventutis! quantam habetis*

tis facultatem non modo publicæ utilitatis ac ſalutis, ſed etiam veſtræ exiſtimationis & gloriæ. Veſtræ enim fidei prudentiæque commiſſa & credita eſt ſpes doctrinæ ac religionis non unius aut alterius civitatis, ſed totius pene Germaniæ.... Sed aliquando ad vos ſermonem & cohortationem meam convertam, lectiſſimi Adoleſcentes! quorum cauſſa & Collegium eſt inſtitutum: & accerſiti boni linguarum atque artium magiſtri, qui vos ſcientia, qui exemplis augere poſſunt: & comparata, quæcunque adhuc potuerunt, commoda atque ſubſidia ſtudiorum.... Unum illud & maxime cupio, & ſummis a Deo precibus contendo, ut antequam ex hac vita migrem, Collegium iſtud a me inſtitutum, ac multis jam ad imitandum (veſtra omnium virtute) propoſitum, mihi ita confirmatum & conſtitutum intueri liceat, ut nullis acerrimi hoſtis inſidiis deinceps labefactari, nulla impiorum hominum injuria convelli poſſit. Ego ſevi fructuoſam iſtam Chriſti arborem: eandem, ſummis Chriſtiani nominis Principibus adjuvantibus irrigabo: Deus ſua admirabili benignitate propagabit: vos univerſi in communem dignitatem & ſalutem incumbite. Denique, rebus *Seminarii*, ſive Collegii hujus indies magis ac magis floreſcentibus, illud ad *Academiæ* celebritatem evehendi propoſitum *Otho* cepit, idque eo magis, quod aliam *Suevia* Academiam catholicam non haberet. Egit de hoc cum *Auguſtanis* Canonicis, Monaſteriis, & Nobilibus *Sueviæ*, ut conferrent ſubſidia: egit cum *Julio III.* Pontifice, *Carolo V.* & *Ferdinando* rege, ut facultatem concederent, auctoritatem ac privilegia adderent, & titulum *Univerſitatis* confirmarent. Prona ubique nactus omnia, anno 1554. die 21. Maji lectis *Statutis* & *Privilegiis*, amplis ſane illis, adeo ut majoribus nullæ per *Europam* Academiæ gaudeant, publicatis (per *Stephanum* Monaſterii

ſterii *S. Crucis*, *Donawerdæ*, Abbatem vices *Marquardi Hatſteinii* Epiſcopi *Spirenſis*, quem Pontifex cum Cæſare ad hanc ſolennitatem ablegarant, gerentem) ſupra memoratum *Cornelium Harlemium a* ROSENTHAL, univerſitatis *Rectorem*, academicis honoribus ac titulis inſignivit: qua occaſione ROSENTHALIUS etiam ſceptrum argenteum, epomidemque rubram e ſerico raſo accepit, una cum ſigillo argenteo; in quo illud notatu dignum, quod gentilitiis familiæ *Truchſeſſianæ* inſignibus forma deaurati mallei adjuncta ſit, quo Pontifex in aperienda Eccleſiæ Vaticanæ, tempore Jubilæi, porta uſus Othonem ſubinde donaverat. Profeſſores, qui in hac litteraria palæſtra tradendis ſcientiis inſudarunt (*s*), fuerunt *Petrus de* SOTO, de quo ſuperius dictum; *Martinus* MARCIUS, Theologus *Pariſienſis*; *Martinus* RHITOVIUS & *Guilielmus Damaſus* LINDANUS, *Lovanienſes*, hic poſtea ad *Ruremontanum*, ille ad *Iprenſem* epiſcopatum evecti; de quibus inferius *Sectione III.* mentio recurret; *Matthæus Gallenus* WESTCAPELLUS (*t*); *Bartholomæus* KLEINDIENST Ord. Prædicatorum (*); *Martinus de* OLAVE *Hiſpanus*, itidem inferius *Sectione III.* denuo commemorandus, omnes Theologi celeberrimi. *Adrianus* BESEMERUS *Alblaſſenus*; *Kilianus* BLANCKENSTEINIUS; *Jacobus* MENCHUSIUS *Belſianus*. Adjunxit *Otho* Officinam librariam, ex qua optimi libri typis multo elegantiſſimis excuſi prodiverunt,

(*s*) STENGELIUS, *l. c. p.* 285. & KHAMMIUS, & GASSARUS, qui ibidem & *Valentinum* PACAEUM, & *Fridericum* STAPHYLUM docuiſſe affirmat. Confer *Pauli a* STETTEN *Chronick von Augſpurg*, *T. I. p.* 471.

(*t*) De hoc Viro videſis SWERTIUM, ANDREAM, MIRAEUM.

(*) De KLEINDIENSTO infra plura afferentur.

ſub *Sebaldo* MAYR opifice tam perito ac ſollerti, ut ſi antiquis typographis palmam non eripuit, at certe dubiam fecit.

Floruit per aliquot annos *Univerſitas* iſta ſub tantis ſcilicet, quos nominavi, Doctoribus. Sed cum iidem ob percrebeſcentem doctrinæ laudem aut alio evocati, aut ad dignitates evecti, alii denique morte rapti eſſent, adeo ut inde non parum detrimenti *Univerſitas* caperet, *Otho* eandem tum ſuo, quem erga *Societatem Jeſu* alebat affectu (*u*) quam maximo, tum etiam *Petri de* SOTO (Imperatoris juſſu, ut ei a ſacris Confeſſionibus eſſet, vocati) ſuaſionibus inductus Patribus *Societatis Jeſu* regendam tradere conſtituit: tradiditque etiam reipſa, data antiquis Profeſſoribus honorifica miſſione, totam per *Petrum* CANISIUM anno 1564. poſtquam eam jam uno anno prius ex parte in illos transtulerat; ſimulque novum pro iisdem Patribus Collegium, Academiæ contiguum, a fundamentis exſtruxerat. *Rectoratus* dignitas *P. Caniſio* ex voto *Cardinalis* obtigerat, qui eandem de communi conſilio *Henrico* DIONYSIO *S. J.* ſuo ex ſorore nepoti contulit. HARLEMIUS Protonotarius apoſtolicus & Academiæ Gubernator declaratus & proclamatus eſt. Sic itaque *Fundatoris* titulo clariſſimum nomen auxit *Otho*, quod in omne ævum almæ Eccleſiæ *Auguſtanæ*, nec non inclytæ TRUCHSESSIORUM familiæ, maximo omnium bono, proprium ac ſtabile permanebit (*x*). Quare *Hie-*

(*u*) De *Othonis* ſtudio in *Societatem* habes quamplurima in CIACONII *Vitis RR. Pontif. T. III. p.* 693. & in *Hiſtor. Soc. Jeſu Germ. ſuper. T. I.* congeſta.

(*x*) Cærimonias hujus traditionis fuſe exponit CIACONIUS *l. c.* Confer STENGELIUM *&c.* Cauſſas traditionis plures affert *Hiſtoria Soc. Jeſu German. ſuper. T. I. p.* 77. 78. Confer *Jul.* POGIANI *Epiſt.* T. III. p. 235. 237. 281. 325.

Hieronymum TORRENSEM in *Nuncupatoria* ad *Confeſſionem Auguſtinianam*, anno 1567. *Dillingæ* excuſam, meritiſſimo jure de *Noſtro* ſcripſiſſe intelligimus: *Quid habet aut poteſt hæc Academia, quod ſecundum Deum non a te pendeat: per te non conſiſtat: tua non ope, ſapientia, virtuteque nitatur. Hoc noſtrum, immo tuum Gymnaſium eſt, quod tu, inter germanos Epiſcopos hujus quidem ætatis primus, a fundamentis excitaſti. Jure gaudet Suevia, tibique gratulatur, quod tua opera hoc bonarum artium, & philoſophiæ tum humanæ, tum divinæ emporium habeat.*

His omnibus *Otho* ſuæ, pro juventute probis moribus & litteris erudienda, ſollicitudini, omni laudum genere digniſſimæ, minime ſatisfecit. Audivimus ſupra, eum anno 1549. Patres *Societatis Jeſu*, nominatim *Caniſium*, in urbem *Auguſtam* invexiſſe, ſacra Catholicæ Religionis munia obituros. His ædes ſuas, quas adhuc Canonicus ante ſumptam epiſcopalem thiaram coluerat, inhabitandas dedit, aſſignato Sacello *D. Lamberto* Martyri ſacro, & palatio epiſcopali proxime adhærente: jamque illo tempore ad *Collegium* in ipſa urbe *Auguſta*, diœceſis ſuæ primaria, eisdem excitandum curas intendit, quæ tamen exitu tum caruerunt. Sed *ex Hiſpania* ab illa honorificentiſſima legatione anno 1564. redux nil prius habuit, quam ut propoſitum ſuum executioni mandaret. Verum ne tunc quidem, quod dudum conceperat animo, efficere ei licuit; donec tandem, quod in vita optarat, urſerat, &, quoad potuit, una cum Canonicorum ſuorum ſenatu adjuvarat, ipſo jam mortuo ab illuſtriſſima *Fuggerorum* gente perfectum fuit, con-

dito anno 1580. Collegio & Templo *Societatis Jeſu* (*y*).

Quæ cum ita ſint, quis inficias ibit, *Noſtrum* litteras & optimarum ſtudia artium per idoneos doctosque Viros, maximis etiam ſumptibus conductos, plurimum promovendo, ita bene de orbe erudito meruiſſe, ut honos ei maneat ſempiternus: nec laus interitura ſit ejus, qui Litteratos tantopere coluit, fovit, amavit.

Aut qui interire poſſit laus *Othonis*, quem veterum & recentiorum Scriptorum plurimi præclariſſimis encomiis certatim ad aſtra tulerunt; adeo ut in hac quoque parte cavendum mihi ſit, ne juſto longius excurrat oratio. A magni nominis Viro, *Paulo* videlicet JOVIO ordiar, qui *Othonem*, *generoſum Muſarum hoſpitem*, *Germaniæ decus*, *ſacri Senatus ornamentum vocat*, *cujus inſignis liberalitas uſu non interiit nec conſenuit; & in cujus animo ſingularis ſanctæ catholicæ Fidei defendendæ ardor flagravit; cui purpuræ decus, viri clariſſimi virtutibus debitum, multis importunum, oculos non perſtrinxit, memoriæ nervos non eliſit, nec aliquid de ſincero, nobilique pudore adumbravit.* RESCIUS in *Vita Card.* HOSII hæc habet: *Magnus ille Otho... Vir conſervandæ Religionis catholicæ cupidiſſimus, pietatis & pauperum non ſolum amicus, ſed etiam amator.* Ipſe Cardinalis HOSIUS, amicorum *Noſtri* facile princeps, in *Epiſtola ad Henricum III. regem Franciæ* ſequenti eum ornat encomio: *Cujus inſignis pietas,* &

(*y*) *Hiſtoria Soc. Jeſu German. ſuperior. T. I. p.* 51. 144. STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 284. 288. *Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat. T. II. p.* 147. Confer Libellum: *Origo Collegii Societatis Jeſu ad S. Salvatorem, Auguſtæ.* 1786. in 8°.

& in Eccleſiæ ſana doctrina tuenda & conſervanda zelus orbi teſtatus eſt univerſo. Et *Libro I. de Hæreſibus* ait: *Vir cum præclaris multis dotibus a Deo ornatus, tum catholicæ & orthodoxæ Fidei defenſor acerrimus. Jacobus* GRETSERUS autem *ſempiternæ memoriæ Principem* vocat, *qui ſua ætate vere Speculum præſulum appellari potuit: cui inprimis curæ fuit, ut boni præſulis officium bene intelligeret, intellectumque re ipſa obiret.* Ab *Henrico* SPONDANO dicitur *Cardinalis laudatiſſimus, & Fide catholica ac prudentia civili inſignis. Matthæus* RADERUS in *Vita Petri Caniſii, Virum conſilio magnum nec minorem pietate* nuncupat, multaque alia in ejus laudem accumulat. *Hieronymus* TORRENSIS in *Præfat. ad Confeſſion. Auguſtinian.* in hæc verba loquitur: *Religionem catholicam ſtudioſe coluit ... & illius nomine varios labores & gravia ſuſtinuit pericula; ſectariorum odium, minas, vim, tela, & injurias Religionis gratia minime formidavit; pios homines & doctos, qua ſumma pollebat, humanitate, clementia & liberalitate proſequi & ornare contendebat. Carolus* STENGELIUS hoc *Noſtrum* præconio honorat: *Vir eximia pietate, conſilio magnus nec minor doctrina, ac incomparabili morum ſuavitate ornatus, idemque maxima apud maximos Pontifices, Cæſares, Principes, auctoritate. Viglius* ZUICHEMUS in *Epiſtola* ad nepotem *Buchonem Aytanum* ait: *Cardinalem Auguſtanum, qui ab ineunte ætate benevolum erga me animum præſetulit, præcipue ut colas, hortor; eſt enim ut optimus piiſſimusque Vir, ita noſtræ nationis amantiſſimus.* Idem *Andr.* ALCIATO de *Noſtro* in hæc verba ſcripſit: *Tui jucunda nobis hic pariter & crebra eſt memoria, non tantum apud iſtum communem doctorum populum, verum etiam majores iſtos Deos, Granduellanum, Epiſcopum Atrebatenſem, Auguſtanum* (Othonem)

ejuſdemque generis Heroes. Jo. Petrus MAFFAEUS, in *Dedicatoria* ad *Hiſtoriam Indicam, Noſtrum, omni liberali doctrina eruditum*, prædicat, ejusque in tuenda Religione ardorem, affectumque in Societatem Jeſu collaudat. *Conradus* BRUNUS in *Dedicat.* ad *Libros de Legationibus*, ſequentibus *Noſtrum* deprædicat: *Inter omnes Principes Germaniæ unus es, qui ita in rebus agendis excellis prudentia, conſilio, & induſtria, ut .. inter multos unus .. a Paulo III. & invictiſſimo Carolo V. delectus fueris, qui maximis & ſplendidiſſimis Legationibus, de rebus maximis tum ſacris tum prophanis, ad maximos reges ac principes, & ampliſſimos Conventus eorum nomine fungereris &c. &c.* *Guilielmus* EYSENGREIN in *Catalogo Teſtium Veritatis* de *Noſtro* in hæc verba loquitur: *Non ignoramus plures adhuc doctiſſimos viros eſſe, quorum vel ſcripta latent, vel temporum injuria minus ad nos perferuntur. Quis non ſingularem Othonis S. R. E. Cardinalis eloquentiam prudentia conjunctam miretur? Hiſtoria Societatis Jeſu Provinc. German. ſuperioris T. I. p. 141. Noſtrum varias Academias obiviſſe ubique politiorum ac ſeveriorum diſciplinarum projectu plane excellenti*, teſtatur, & per plures paginas ampliſſimum encomium *Noſtro* texit. *Muſæum Mazzuchellianum* ait: *Virtutibus quam maximis profecto, Viroque principe dignis enituit, ſumma pietate, immenſo Fidei ardore, inextinguibili catholicæ Religionis zelo, ac præterea humilitate, affabilitate, munificentia & liberalitate in pios quosque doctosque homines, quos ubique proſequi & ornare contendit.*

Atque (ut etiam unum alterumve ex *Acatholicorum* numero adjungam) inprimis *Henricus* PANTALEO in *Proſopograph. T. III. p.* 296. ſequenti præconio *Othonem* afficere non dubitavit: *Pater Vuil-*

Vuilhelmus eum optimis præceptoribus inſtituendum tradidit, atque in bonarum literarum ſtudio eum educari curavit. Itaque cum Otho felici ingenio eſſet præditus, factum eſt ut æquales ſuos in artium & linguarum ſtudio facile ſuperaret, atque in virum doctiſſimum evaderet. Poſtea exteras nationes vidit, atque ob plurimas corporis & animi virtutes proceribus hinc inde gratiſſimus extitit. ... Poſtea vero ut Germaniam patriam exornaret, Dillingæ ſuæ ditionis oppido novam Academiam inſtituit, atque eam liberalibus ſtipendiis propoſitis viris doctiſſimis exornavit. Præcipue vero Jeſuitarum Ordinem dilexit, atque eis docendi munera ibidem commiſit. Quod ſi itaque antiqui Principes, qui hinc inde apud Germanos novas Academias olim inſtituerunt, paſſim apud Scriptores celebrantur, certe nec hic Otho ſua laude fruſtrandus, ſed merito poſteritati commendandus erit: præſertim cum plurimi eruditione & authoritate præclari viri ex ea Academia prodierint. In eo loco Otho Princeps ſæpius lectionibus interfuit, atque in diſputationibus publicis ſua argumenta propoſuit, & ſua præſentia ſcholam exornavit. Laudat deinde *Pantaleo* humanitatem *Noſtri*, in quem forte fortuna in *Elchingenſi* prope *Ulmam* cænobio anno 1565. morantem inciderat, & a quo multa *latino ſermone*, *& ordine ſibi narrata*, accepiſſe ſe, gloriatur. *Jacobus Wilhelmus* IMHOFIUS denique, in *Notit. Rom. Imperii*, *Othonem ob Religionis catholicæ zelum & prudentiam civilem apprime a pontificiis Scriptoribus commendatum fuiſſe*, monere non intermiſit.

Sed cur hæc fuſius exſequor; cum dicendi finem nullum inventurus ſim, ſi omnia allegare voluero? Ob eam rem (ut Auctores per decurſum hujus *Narrationis* a me citatos jam penitus ſileam) miſſos inſuper facio *Janum* VITALEM *Panormitanum*

num, *Onuphrium* PANVINIUM (*z*) *Ant.* PETRAMELLARIUM (*a*) *Ant.* SANDERUM (*b*) FILIUCCIUM (*c*) *Nicol.* ORLANDINUM, & *Franciſcum* SACCHINUM (*d*) *Andr.* VICTORELLUM (*e*) ALCIATUM (*f*) *Jo. Ant.* GABUTIUM (*g*) *Lud. Donium de* ATTICHY (*h*) AUBERYUM (*i*) *Hippol.* MARACCIUM (*k*) *Felic.* CONTELORIUM (*l*) *Joann.* RHO (*m*) *Jo. Mar.* SUAREZ (*n*) *Jacobum Pontanum* (*o*) PAPADOPOLIUM (*p*) UGHELLUM (*q*) PALATIUM (*r*) THUANUM (*s*) FLEURYUM (*t*), RAYNALDUM (*u*) milleque alios. Unam, cohibere me nequeo, quin, brevitati ſtudens, excerptim ſaltem dem, etſi tota tum ob sereniſſimam commendantis perſonam, tum ob laudem, de qua hoc loco maxime agitur, ipſius commendati, apponi mereretur, *Epiſtolam* ALBERTI Ducis *Bavariæ*, qua

(*z*) In *Chronico Romanorum Pontificum.*
(*a*) In *Chronici ejusdem Continuatione.*
(*b*) In *Elogiis Cardinal.*
(*c*) In *Elogiis*, *m. s.*
(*d*) In *Hiſtor. Soc. Jeſu.*
(*e*) In *Additionib.* ad CIACONIUM.
(*f*) In *Orationibus.*
(*g*) In *Vita Pii V.*
(*h*) In *Hiſtoria Cardinalium.*
(*i*) In *Hiſtoria generali Cardinalium.*
(*k*) In *Purpura Mariana.*
(*l*) In *Elencho Cardinalium.*
(*m*) In *Exemplis Virt. & Vitior.*
(*n*) In *Epiſcopis Prænestinis.*
(*o*) In *Epicedio* typis vulgato in honorem *Noſtri.*
(*p*) In *Hiſtoria Gymnaſii Patavini.*
(*q*) In *Italia ſacra.*
(*r*) In *Hiſtoria Cardinalium.*
(*s*) In *Hiſtoriarum Libris.*
(*t*) In *Hiſtoria eccleſiaſtica*, *T. XXXV.*
(*u*) In *Annal. eccleſiaſt. T. XIV. Edit. Manſianæ.*

qua is *Othonem Pio V.* (*x*) impenſiſſime commendans in hæc verba loquitur : *Quod privatim mihi gratuler, quod certiſſimi beneficii loco ducam, inprimis eſt Sanctitatis veſtræ in Othonem... Compatrem & Amicum mihi honorandum & chariſſimum, diu jam perſpecta benevolentia notusque favor. Cum enim illum ipſum Cardinalem propter virtutes & merita plurimum amem, cum illi eo nomine optime cupiam, fieri non poteſt, quin ex animo non læter, eum præſidere rebus chriſtianis Pontificem, ex quo illi ſumma ſperanda eſt pietas, certiſſimaque liberalitas... Quam ſane utriusque noſtrum opinionem non mediocriter confirmat præſaga ingentis boni lætitia iſta, quam ex Sanctitatis Veſtræ electione Cardinalis conceperat.... Et quæ non effundat lætiſſimæ mentis indicia, qui virtuti integritatique ſuæ benigniſſimum patronum, ſanctiſſimis ſtudiis ſuis auxiliatorem liberaliſſimum nactus repente eſt? Quamobrem ita mihi perſuadeo, cum maxima ſint hujus Cardinalis in Eccleſiam & Rempublicam chriſtianam merita, hoc demum ſub Sanctitate veſtra idoneum veniſſe tempus, quo ejus juſta habeatur ratio, quo præmia virtuti decernantur, quo laboribus atque periculis grata mercede ſatisfiat. Ut enim pietate in Deum, ſtudio ac devotione in Sedem apoſtolicam, animi ſinceritate & candore erga omnes, a nemine ſui ordinis, facile ſuperetur, hoc certe ſibi peculiare ac proprium habet, quod nemo eſt antiſtitum in Germania, qui tantum in Religionem contulerit, tantaque pro eadem perpeſſus ſit, ac etiamnum fortiter ſuſtineat... Ego nil addam aliud, niſi quod periclitanti Germaniæ tales epiſcopos plures optarem libenter, qui precibus* ad

(*x*) Habes Epiſtolam hanc integram in LADERCHII *Continuat. ad Oder. Raynaldum ad annum* 1566. & in *Joſ. Ant.* STEINERI *Synodico Auguſtano*, *p.* 228. & *ſeqq.*

ad Deum ardentiſſimis,quodque plurimum habet ad docendum & ædificandum momenti, ipſa vitæ integritate & manſuetudine vivoque exemplo idem agerent,quod ipſe.iidemque ſibi propoſitum habent. Et poſtquam de victoria a Carolo V. abs belli *Smalcaldici* fæderatis reportata dixerat Sereniſſimus Dux , ſubdit: *Enituit tum maxime moderatiſſimi ejus animi manſuetudo, qua & hoſtibus ignovit facile, & ſuis clementer pepercit : ſeque patrem & benefactorem exhibere omnibus maluit, quam durius , cum Cæſare , victoria uti... Univerſalis Dillingenſis ſtudii nova conſtructio.. ampliſſima Profeſſorum ſalaria , pauperum ſcholarium ſtipendia, & Collegia his rebus idonea & neceſſaria quanti conſtiterint,.. conjecturam facient, qui talium rerum experientia ſunt edocti. Addita quoque novæ ſcholæ libraria officina ſuos requirit peculiares ſumptus, & dignum eſt illud opus ingenti beneficio, ſiquidem ex eo prodeunt ſubinde elegantiſſimi typis excuſi optimi & utiliſſimi libri , qui per Germaniam ac Gallias hinc inde diſperſi plurimos in Fide catholica confirmant, nutantes erigunt , perverſos reſtituunt.* Et , cum multa de *Seminario* , de *Collegio Societatis Jeſu* adjeciſſet , pergit : *Quæ omnia cum ita ſe habeant... unius ac ſolius certe pontificiæ liberalitatis erit, auxiliares adhibere manus : tam præclariſſimas virtutes, ne ſub pondere concidant & langueſcant, fovere &c. &c. &c.* Colophonem addant *Pauli III. Breve* : item *Inſtructio pro Legatis Cæſareis*, quibus *Noſter* ad Epiſcopatum *Auguſtanum* promotus fuit, & in quibus, præter alias multas maximasque dotes, a doctrina diſerte commendatur. Dein vero *Julii III. Litteræ*, quas ſummus iſte Pontifex anno 1553. die 18. Februarii, *Othone* noſtro in patriam revertente, ad patrem ejus *Wilhelmum* ſcripſit, & quibus tum patris, tum filii virtutes ac merita impenſe

penſe

penſe laudavit: uti & *Epiſtola* ſive *Breve Pauli IV.* quo is eundem *Wilhelmum*, filii ſui *Romæ* diutius morantis deſiderium haud ferre valentem anno 1555. conſolatus eſt, ita ut ſimul amplas *Noſtro* laudes dicat his verbis: *Antequam dilectus filius noſter, Otho, natus tuus in ... Cardinalium numerum cooptatus eſſet ... talem ſemper ſe præſtitit, ut ampliſſimo illo Ordine non modo a f. m. Paulo III. ſed etiam ab omnibus nobis maxime dignus ſemper judicatus fuerit. Poſtea vero quam creatus eſt Cardinalis, quoties hic eum nobiſcum commorari contigit, cura, opera, conſilio omnibusque officiis (ejus munere, ac nobili optimoque viro dignis) ... ita ſemper ſe geſſit, ut non facile a nobis ſcribi poſſit, quantum is gratiæ apud omnes ac benevolentiæ ſibi comparaverit; adeo ut cum ille interdum ſe iſtuc ad vos recipere coactus fuit, ejus abſentis deſiderium vix a nobis perferri poſſe videretur, niſi optime omnes intelligeremus, quam veſtris Germaniæ rebus ... ejus præſentia iſthic eſſet neceſſaria &c. &c. &c* (y). Denique *Pii V. Epiſtola*, qua *Noſtrum* (uti ſuperius dicere me memini) Capitulo *Colonienſi* ut Archiepiſcopali mitra digniſſimum commendavit his verbis: *In quo* (Othone) *poſtulando ampliſſimum tantæ Civitati ac Diœceſi, ſumma cum judicii veſtri commendatione, ac ſalutare donum vos allaturos exiſtimamus.* Erubeſcant ad tot clariſſimorum Virorum, ad tantas ſummorum tum *Eccleſiæ* tum *Imperii Principum* laudes magnificentiſſimas, quotquot præteritis, noſtrisque temporibus de *Othone* ſiniſtre vel ſenſerunt vel ſcripſerunt,

fate-

(y) *Breve Pauli III. Inſtructionem Cæſaris pro Legatis, Epiſtolam Pauli IV.* integra hæc invenies in *Chronico Truchſeſſiorum, P. II. p.* 84. quod conſulas velim. *Julii III. Epiſtolam* exhibet RAYNALDUS in *Annal. Eccleſ. T. XIV. p.* 517.

fateanturque, ſe aut merita illius minus cognita habuiſſe: aut, ſi quidem cognita habuerunt, odio, livore, maledicentia, aut partium ſtudio in transverſum actos eſſe. Sed cur iſtos poſthæc moror? — Ad alia pergo.

Quemadmodum *Cardinalis* noſter viros litteratos ſummo ſtudio, ſummaque benevolentia complexus eſt; ita hi gratas vices pro viribus rependere, nullo modo intermiſerunt, litteraria munera eidem proniſſimis animis deferentes, & maximi honoris loco reponentes, cum ſuas ſibi lucubrationes clariſſimo *Othonis* nomini inſcribere liceret. Atque ut exemplis agam, *Claudius* JAJUS *Noſtro* ſuum *Speculum Prælatorum*: *Petrus de* SOTO *Compendium Doctrinæ chriſtianæ*, una cum aliis, *Ingolſtadii* 1550. excuſum: item *Methodum Confeſſionis*, ſæpius illam recuſam, eidem conſecravit. *Petrus* MUCANTIUS Librum *Paridis Craſſi de Cærimoniis Cardinalium & Epiſcoporum* ſacrum eſſe *Noſtro* voluit, cui in *nuncupatoria* ampliſſimas laudes dicit, utpote *eximiis virtutibus undique circumfluenti; rerum humanarum, & divinarum ſcientia peritiſſimo; gravitate inſigni, altitudine animi, munificentia, liberalitate nemini ſecundo, in Officiis divinis ac ſacrificiis ſolenniter agendis, & ſuaviſſimo phonaſcorum omnisque generis ſymphoniæ concentu decorandis perſtudioſo. Franciſcus Maria* PICCOLOMINEUS *Senenſis*, Epiſcopus *Ilcinenſis*, eidem *Diploma Pii II. ad Univerſitatem Scholæ Colonienſis*: *Julius* POGIANUS, quem *Noſter Romæ* longiori tempore ab Epiſtolis ſcribundis habuit (z) *S. Jo. Chryſoſtomi* Librum *de Virginitate* e Græco in Latinum a ſe translatum: *Conrad.*

(z) Hoc teſtatur ipſe POGIANUS, in *Epiſt. & Orat. Vol. II. p.* 184.

Conrad. BRUNUS *Libros V. de Legationibus*: *Chriſtophorus* FORSTENHEUSERUS J. V. D. *Jacob.* HENRICHMANNI JCti. præſtantiſſimi, cujus Vitam in *Alphabeto I.* hujus *Bibliothecæ* dedi, *Conſilia juridica*, a ſe curis ſuccedaneis, duobus in *folio* voluminibus edita, nuncupavit. *Hieronymus* TORRENSIS *Confeſſionem Auguſtinianam*, *Dillingæ*, 1567. excuſam: *Gabriel* FRASCATUS Reginæ *Daniæ* a Conſiliis, & Medicus *Carmina in Nuptias Guilielmi Ducis Bavariæ cum Renata Lotharingica* italice exarata: *Nicol.* MAMERANUS, clarus Hiſtoricus, *Catalogum Perſonarum*, qui Comitiis *Auguſtanis* anno 1547. 1548. interfuerunt: item *Catalogum totius exercitus Cæſaris &c. Joann. Petr.* MAFFAEUS a ſe recognitum & latinitate donatum *Commentarium Emmanuelis* ACOSTAE *de Rebus Indicis &c. &c.* eidem dedicarunt. *Guilielmus* EISENGREINIUS *Centenarios* ſuos *ſexdecim* adverſus *Centuriatores Magdeburgenſes*, anno 1566. *Joann.* FABRI *Ord. PP.* Librum ſuum: *Chriſtliche Unterweiſung an die Wiedertäufer. Jacob.* MENCHUSIUS *Orationem funebrem in Barthol. Kleindienſt Noſtro* ſacraverunt.

Verum quid in alienis Lucubrationibus *Noſtro* dicatis hæreo; cum multæ ſint ipſæ a *Noſtro* editæ? Horum Catalogum minus exactum exhibet *Georg. Joſ.* EGGS in *Purpura docta*, *L. IV. p.* 597. his verbis: *Edidit Otho Cardinalis Conſtitutiones ſalubres pro Reformatione Cleri & Populi Auguſtani. Edicta plurima adverſus Hæreticos Diœceſin ſuam infeſtantes. Eo auctore prodiit ex Græco in Latinum verſus Tractatus S. Jo. Chryſoſtomi de Virginitate, opera Julii Pogiani. Similiter Speculum Præſulum, opera Claudii Jaji S. J. Et Liber Paridis Craſſi de Cerimoniis Cardinalium & Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus. Rurſum Compendium Doctrinæ chriſtianæ:*

Expli-

Explicatio eccleſiaſtici cultus, Miſſæ præſertim, *opera Petri de Soto. Aliaque innumera ad tuendam Fidem catholicam opportuna*. Ego accuratiori ſtudio confectum Catalogum hic appono, ſequentem.

Sectio III.

Litteraria Noſtri Monumenta.

Eruditionis & piæ vigilantiæ documenta, ab *Othone* noſtro orbi relicta, ſunt ſequentia:

I. *Statuta ſynodalia RRmi. D. Othonis Epiſcopi Auguſtenſis lecta & publicata die Mercurii*, *V. Decembris, Anno Domini* 1543. in 4to. *Sine loco.* 1544. Exhibuit hanc *Synodum*, plurimis ignotam, qua, ceu primitiis quibusdam paſtoralis ſollicitudinis, primum regiminis ſui annum *Noſter* conſecravit, e Bibliothecæ Aulicæ *Eichſtettenſis* exemplari deſumptam, etiam RRmus *Joſ. Ant.* STEINER in *Synodico* ſuo *Auguſtano*, *p.* 233.

II. *Acta & Statuta Synodi diæceſanæ Auguſtenſis, RRmo in Chriſto Patre & Illuſtrmo Principe & D. D. Othone S. R. E. T. T. S. Balbinæ Presbytero Cardinale & Epiſcopo Auguſtano præſidente*, *ad diem XII. Novembr. anni* 1548. *convocatæ & continuo triduo celebratæ. Ingolſtadii*, *ex Officina typographica Alexandri Weiſenhorn*, *Anno MDXLIX. menſe Januario.* Ad calcem habetur *Martini de* OLAVE (*a*) Theologi *Hiſpani*, Cæſareæ Majeſtatis *Sacellani Oratio* ad Patres Synodi habita. Hanc *Synodum* convo-

(*a*) *Martini de* OLAVE laudes fuſe deſcripſit *Philipp.* ALLEGAMBE in *Bibl. Script. Soc. Jeſu. p.* 329. Adfuit is etiam in *Concilio Tridentino*, & in illo præclariſſimo orbis theatro *Orationem* ad congregatos Patres habuit, quæ adhuc extat. Scripſit inſuper alia. Confer *Hiſtor. Soc. Jeſu Germaniæ ſuperioris*, *Decad. III. p.* 77.

convocavit *Noſter* eo maxime fine, ut ad nutum *Caroli V.* deliberaret, quid de Formula: INTERIM, ſtatuendum eſſet? Dictam *Synodum* exhibuerunt poſtea *Collectio Conciliorum Biniana*, *Regia*, *Labbæana*. Dedit eam quoque HARZHEMIUS in *Conciliis Germaniæ*, *T. VI. p.* 359. & *Joſ. Ant.* STEINER in *Synodico* ſuo *Auguſtano*, *p.* 253. Habetur etiam in LUNIGII *Spicil. eccleſ. T. II. p.* 1059. Audiamus *Corb.* KHAMMII (*b*), de memorata *Synodo* judicium: *Anno* 1548. *dum Auguſta Cæſar veteri Senatu exauctorato novum inſtituit & Reipublicæ ſtatum immutat*, *Otho.. pro Eccleſiarum*, *Cleri & Populi morum reformatione Synodum cogit; in ea diſperſos viros eccleſiaſticos colligit; orthodoxos & vitæ integræ Curiones, incontinentia Clericorum coercita, parochiis præficit; ſimoniacos & lutherana doctrina infectos proſcribit; Decreta catholica Laurentii* CAMPEGII *Cardinalis... introducit; aliasque Conſtitutiones ad Fidem conſervandam, Eccleſiam reformandam, totamque diœceſin illibatam ac illæſam reddendam, vel neceſſarias vel utiles, nemine adverſante, præſcribit.*

III. *Fragmenta ad Synodum* ſupra dictam in lucem protulit ſæpiſſime a me citatus RRmus *Joſ. Ant.* STEINER in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtenſis*, *p.* 70. *ſeqq.* tum hoc *Opere*, tum *Synodico Auguſtano*, a ſe vulgatis, de *Auguſtana* Eccleſia & Epiſcopatu præclare meritus.

IV. *Des hochwurdigiſten Furſten und Herrn, Herrn Otho, der H. R. K. des Titl. S. Sabinæ Prieſter, Cardinals, und Biſchoffen zu Augſpurg, und ihrer Furſtl. Gnaden Stiffts, Undergerichts und Straffordnun-*

(*b*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 344.

ordnungen. in 4to. *Gedruckt zu Augſpurg, durch Andream Aperger.* 1552. In fine curavit *Noſter* adjici tum *Mandatum Caroli V.* anno 1551. editum, *ne quis cujuscunque ordinis ac dignitatis exterorum Principum ſervitiis bellicis ſeſe addiceret &c*: tum *duo*, a ſemet prius emiſſa, *Mandata de pœnis blaſphemorum, adulterorum, uſurariorum*: dein *contra Zingaros, mendicos &c.* Confer *Pauli a* STETTEN *Chronick von Augſpurg. T. I. p.* 429. Extat in Bibliotheca *SS. Udalrici & Afræ, Auguſtæ.*

V. *Statuta Collegii eccleſiaſtici in oppido Dillingen Auguſtenſis Diœceſis, Provinciæ Moguntinenſis, per RRmum & Illuſtriſſimum DD. Othonem Truchſes, tt. S. Sabinæ S. R. E. Presbyterum Cardinalem Auguſtanum nuncupatum, ſub invocatione S. Hieronymi, nuper erecti.* in 4to. *Romæ. Apud Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem. Anno Domini.* 1553. Extant in Bibliotheca *FF.* VEITHIORUM. Operis perrari ſequens eſt exordium: *Otho &c. &c. Cum plurima graviſſimorum malorum genera inveniantur, quibus hodie tota fere Germania miſere premitur; haud ſane facile dici poteſt, an ex illis omnibus ulla ſint a Catholicis, qui in hac provincia perſtiterunt, magis lugenda, quam tantam his temporibus apud eos miniſtrorum Eccleſiæ eſſe raritatem, eorum certe quidem, qui ita vivant, ut vitæ ſuæ exemplo cæteros ædificent, aut ſaltem non offendant: tam ingentem virorum doctorum ſolitudinem, qui puram & catholicam Theologiæ doctrinam ita didicerint, ut eam aliis tradere commode poſſint: tam pudendam in nobis præſidibus harum rerum diſſimulationem & negligentiam, in quibus rebus invigilare nunc maxime & excubare animis debebamus &c. &c.* Penuriæ autem proborum Sacerdotum duplici via mederi inſtituerat, dicens: *Cum duo ſint, quæ nos inprimis oportet*

in

in hoc noſtro Collegio proſpicere : alterum , ut adſint in eo ſemper honeſtiſſimi morum moderatores , & probi ac ſapientes cum minorum artium , tum etiam Theologiæ Profeſſores : alterum ut leges & decreta conſtituamus , quibus adſtringi debeant , qui in ipſum Collegium cooptandi ſunt. Illud nos jam præſtitiſſe arbitramur , & præſtituros etiam in poſterum ſperamus. . . Diſciplinam porro morum hic offerimus , legibus illam quidem & inſtitutis conſtantem cum æquis & ſanctis , tum ad id Inſtitutum , quod nobis propoſuimus , valde accommodatis &c. Ejusdem *Collegii Statuta* rurſus anno 1557. una cum publicatione erectionis & privilegiorum *Studii generalis* per *Julium III.* Pontificem & *Carolum V.* Imperatorem edidiſſe *Othonem*, teſtatur *Car.* STENGELIUS in *Comment. Rer. Auguſt. p.* 300.

VI. *Synodus Auguſtana*, quam *anno* 1554. a *Noſtro* celebratam fuiſſe,monet RRmus *Joſ. Ant.* STEINER in *Synodico* ſuo *Auguſtano*, *p.* 319. citans AMORTII *Epiſt. dedicat. novæ Philoſophiæ Planetarum & Artis criticæ* : cujus tamen *Statuta* ſe non vidiſſe dolet.

VII. *Des Hochwurdigſten Furſten und Herrn Herrn Otho Cardinals und Biſchoven zu Augſpurg, Bropſts und Herrn zu Elwangen &c. warhaffte Ableinung, antwort und entſchuldigung wider die erdichten unwarhafftige* newe Zeytungen , *newlich im hayligen Reich umbgetragen und außgebrayt.* in 4to. 1556. Extat in Bibliotheca Collegii quondam *Societatis Jeſu* , *Auguſtæ* , in Codice ſignato *R. VI.* 4. Occaſio ſcribendæ hujus *Apologiæ* iſta fuit. Cum anno 1555. mortuo Pontifice *Julio III. Noſter Romam* peteret novi Papæ electioni , qua Cardinalis, adfuturus , longiusque ibidem moraretur , retentus a Pontifice , ut de Eccleſiæ reformatione optimis-

que ad eam perficiendam remediis conſultationes fierent: calumnioſi interim libelli ſub titulo: *Newe Zeytungen*, per *Germaniam* ſparſi ſunt, quibus *Otho* accuſabatur, ac ſi varia adverſus *Proteſtantes*, de *Pace Religionis* ſubvertenda, de bello *Proteſtantibus* inferendo, cladeque eorum edenda, cum Pontifice, Imperatore, Regibusque *Angliæ* & *Franciæ* contuliſſet. Has ergo calumnias præſenti Libello diſplodendas ſibi *Otho*, ex *Italia* reverſus, ſumpſit, adverſarios ſuos efficacibus refutans rationibus, ſuamque innocentiam publicis argumentis confirmans. V. *Chronicon Truchſeſſiorum*, p. 109. ſeqq. ubi controverſia hæc fuſius exponitur: Recuſa hæc *Noſtri* Apologia in *Actis publicis*, & apud *Sleidanum*, *L.* 26.

VIII. *Synodus Auguſtana*, *anni* 1557. quam memorat ex eodem AMORTIO RRmus *Joſ. Ant.* STEINER in *Synodico* ſuo *Auguſtano*, *p.* 319. addens, ſe illius *Statuta* non vidiſſe.

IX. *Conſtitutio de Confeſſione peccatorum in Quadrageſima ad annum* 1565. Exhibet in *Actis Eccleſiæ Auguſtenſis ſelectis p.* 87. RRmus *Joſ. Ant.* STEINER.

X. *Decreta ſynodalia Diœceſis Auguſtanæ Dillingæ, menſe Junii* 1567. *promulgata præſidente Illuſtrmo & RRmo DD. Othone S. R. E. Epiſcopo Cardinale Albanenſi & Auguſtano.* in 4to. *Dillingæ. Excudebat Sebaldus Mayer.* Habentur *Decreta* iſta etiam in HARZHEMII Collectione *Conciliorum Germaniæ T. VII. p.* 148. *ſeqq.* & in RRmi *Joſ. Ant.* STEINERI *Synodico Auguſtano*, *T. II. pag.* 323. *ſeqq.* ubi præfixa quoque videbis *Acta in eadem Synodo.* Eadem *Decreta* LUNIGIUS in *Spicil. eccleſ. Cont. II. p.* 323. inferenda judicavit. In hac Synodo,

do, quæ a Cardinale PALLAVICINO (*c*) laudatur, id maxime egit *Noſter*, ut *Concilii Tridentini* Decreta in uſum deducerentur, morumque & diſciplinæ emendatio ac conſervatio ſecundum illiusStatuta ſanctiſſima efficeretur. Laudem inſuper plurimam ex eo meretur *Otho*, quod *Synodum* (haud dubie hanc) ipſus litteris conſignarit, prout tradit *Muſæum Mazzuchellianum*, *T. I. p.* 364.

XI. Notas ad mox memoratam *Synodum*, quibus varia *Noſtri* in emolumentum Diœceſis edita monumenta & inſtructiones interſeruntur, dedit orbi litterato a me quam ſæpiſſime laudatus *Joſ. Ant.* STEINER in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtenſ. pag.* 91. *ſeqq.*

XII. *Opuſculum adverſus impugnantes Communionem ſub una ſpecie.* Hoc *Noſtrum* ſcripſiſſe, diſertis verbis teſtatur *Muſæum Mazzuchellianum T. I. p.* 364. quin addat locum & annum impreſſionis. Inter *Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat. Tom. III.* plures *Noſtri* Epiſtolæ extant, in quibus *de Uſu Calicis* concedendo, non concedendo, ſuam mentem aperit. Hinc aſſertio Auctoris dicti *Muſæi* fidem majorem nanciſci videtur.

XIII. *Opuſculum adverſus Clericorum matrimonia.* Hoc claris rurſus verbis *Noſtro* tribuit mox laudatum *Muſæum Mazzuchellianum*, *l. c.* At locum & annum impreſſionis iterum non exprimit.

XIV. Reſtat de *Epiſtolis*, quas *Noſter* ad varios, dedit plurimas, pluribus dicere. Hæ ſunt I°. eæ, quas ad Cardinalem (*d*) *Farneſium* (puta, Alexan-

I 3 drum)

(*c*) In *Hiſtoria Concil. Trident. L. XXIV. c.* 12.

(*d*) De Viro hoc maximo videri poterit JOVIUS, THUANUS, CIACONIUS &c.

drum) & ad Gabrielem *Flammam* (*e*) a *Noſtro* ſcriptas eſſe, *Muſæum Mazzuchellianum*, *T. I. p.* 364. affirmat, conſentiente etiam (quoad Epiſtolas ad *Flammam* datas) CIACONIO in *Vit. RR. Pontificum T. III. p.* 998. & dicente: *Miſit* Otho *litteras Gabrieli Flammæ*, *quæ inveniuntur inter* Virorum illuſtrium Epiſtolas *in lucem editas*. IIo. Una ad *Caſparem* FRANCUM (*f*) ſcripta anno 1568. quam videſis ad calcem *Exſequiarum* eidem *Franco* celebratarum, & *Ingolſtadii* 1585. excuſarum. IIIo. Ampliſſimam Epiſtolarum *Noſtri* farraginem nobis ſervavit, ob id merito a nobis plurimum commendandus, Vir doctiſſimus *Julius* POGIANUS (*g*): quas ex ordine recenſebo, videlicet ad Stephanum *Agricolam* (*h*); ad Antonium *Perenottum* Granvellanum, Cardinalem Atrebatenſem; ad Franciſcum *Richardotium* Epiſcopum Atrebatenſem; ad *Bambergenſem* Epiſcopum; ad Robertum a *Berges* Leodienſem epiſcopum; ad *Biſuntinum*, melius *Veſuntinum* episcopum; ad *Biſuntinos* Conſules & Sena-

(*e*) Doctiſſimi & eloquentiſſimi Epiſcopi hujus encomium exhibet GHILINUS.

(*f*) Fuit FRANCUS patria *Ortrando* - *Miſnius*, Philoſoph. & Theologiæ Doctor ac Profeſſor in Academia *Ingolſtadiana*, plurimis libris editis clarus &c. &c. de quibus omnibus videri poterunt *Exſequiæ* eidem *Franco celebratæ*: item *Annales Academiæ Ingolſtadienſis* a *J. N.* MEDERER vulgati, ubi plurima in ejus laudem occurrunt.

(*g*) Ab Viro hoc ſumma eruditionis laude claro extant: *Julii* POGIANI *Sunenſis Epiſtolæ & Orationes olim collectæ ab Ant. Maria Gratiano*, *nunc ab Hieronymo Lagomarſinio e Soc. Jeſu adnotationibus illuſtratæ ac primum editæ*. in 4to. *IV. Volumina. Romæ*. 1762. In hujus itaque Operis *volumine ſecundo & tertio* extant Epiſtolæ *Noſtri*, quas ſuperius recenſeo, & quæ numerum CCCVII. æquant.

(*h*) De hoc inferius agetur paucis.

Senatum ; ad *Colonienſem* Archiepiſcopum ; ad *Cracovienſem* Palatinum , haud dubie Stanislaum *Miskowskium ;* ad Philippum *Padneuskium*, Epiſcopum Cracovienſem & Poloniæ Vice-Cancellarium; ad Martinum *Cromerum* (*i*); ad Matthiam CYTHARDUM (*); ad Anſelmum *Dandinum*; Abbatem, nepotem Cardinalis *Dandini* (**) ; ad Mauritium *Diesbachium*; ad *Dilingenſe* Collegium , ad Nicolaum *Everhardum* (*k*) Ingolſtadienſem ; ad *Ferdinandum* Imperatorem ; ad *Flandriæ* Præfectum, fors Lazarum *Zuendium ;* ad *Friburgenſem* Academiam ; ad *Germaniæ* ſacrique Imperii Principes; ad *Gnesnenſem* Archiepiſcopum ; ad Paulum *Hebraum*; ad Stanislaum (*l*) *Hoſium ;* ad Jacobum *Illecinum ;* ad *Legatos Concilii Tridentini* (*m*) ; ad Gulielmum *Lindanum* (*n*) ; ad *Lotharingiæ* Ducem ; ad *Chriſti-*

I 4 *ernam*,

(*i*) De Viro hoc longe eruditiſſimo, vulgatisque Libris per univerſum orbem litterarium, geſtisque muneribus celeberrimo videantur TEISSIERIUS, STARAVOLSCIUS, GHILINUS, GADDIUS, PAPADOPOLIUS.

(*) De CYTHARDO vide QUETIF & ECHARD. V. ZITTARDUS. item *Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat.*

(**) De *Anſelm.* DANDINIO V. *Julii* POGIANI *Epiſt. & Orat.*

(*k*) Multa de hoc Viro perdocto ; pietate , eruditione, rerum experientia & prudentia venerando ; Legum Doctore & Profeſſore Ingolſtadienſi; itemque Cameræ imperialis *Spirenſis* Aſſeſſore habet *J. N.* MEDERER in *Ann. Academ. Ingolſtad. T. I.*

(*l*) *Stanislai* HOSII Cardinalis & Epiſcopi [illegible] laudibus ſcatent Libri tum hiſtorici tum [illegible] menti.

(*m*) Erant *Mantuanus* , *Varmienſis* [illegible] Cardinales.

(*n*) Si cognoſcere vis, quam bene [illegible] lica meritus ſit LINDANUS , conſule [illegible] GHILINUM , POSSEVINUM , SWERTIUM.

ernam, matrem Ducis Lotharingiæ; ad Georgium *Majorem*; ad *Maximilianum* Regem *Bohemiæ*; ad *Naumburgenſem* Epiſcopum, *Julium*; ad Regem *Poloniæ*, *Sigismundum*, *Sigismundi I.* & *Bonæ Sfortiæ* filium; ad *Poloniæ* Reginam, *Catharinam* Auſtriacam; ad Epiſcopum *Quinqueccleſienſem*, Georgium *Draſcovicium* (o); ad Rabanum Juriſperitum; ad Georgium *Sabinum* (p); ad *Seldium*, Imperatoris Vice-Cancellarium (q); ad Marcum *Sinchmoſerum*, Secretarium & Conſiliarium cæſareum; ad Joannem *Spazium*; ad Fridericum *Staphylum* (r); ad Ludovicum *Stradinum*, Conſiliarium cæſareum; ad Joannem *Tarnovium* (s) Comitem; ad Joannem Chriſtophorum: item ad Stanislaum *Tarnovios*; ad Lævinum *Torrentium* (t); ad Fridericum, & Gebhardum: item Chriſtophorum *Truchſeſſios*; ad N. *Truchſeſſium*; ad Jacobum *Zimmermannum*, Canonicum Varmienſem; ad *Gui-*

(o) De litterariis DRASCOVICII meritis videatur JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon.*

(p) *Georg.* SABINUM laudant TEISSIERIUS. POPE-BLOUNT, BECMANNUS in *Notit. Academ. Francofurt. Obſervationes Hallenſes*, NICERONIUS. Vitam ejus dedit anno 1588. *Petrus* ALBINUS; poſtea etiam *Theodorus* CRUSIUS.

(q) Notior eſt toto orbe germanico SELDIUS Auguſtanæ urbis decus inſigne, quam ut neceſſe ſit Scriptores, qui de illo egerunt, recenſendo longiorem me eſſe. Dabitur occaſio, ejus laudes in ſequentibus præſentis *Bibliothecæ* voluminibus celebrandi.

(r) De Viro hoc doctrina & ſcriptis editis celeberrimo præter alios videri poſſunt *Annales Academiæ Ingolſtadienſis a J. N.* MEDERER vulgati.

(s) De TARNOVIO conſule *Jöchern Gelehrten Lexicon.*

(t) TORRENTIUM, virum omni laude digniſſimum, laudant TEISSIERIUS, POPE-BLOUNT, SWERTIUS, ANDREAS, PAPADOPOLIUS.

Guilielmum Bavariæ Principem ; ad Adrianum *Bijemerum* ; ad Carolum *Borbonium* Cardinalem ; ad *Cameracenſem* Archiepiſcopum ; ad Magiſtrum *Carthuſianæ* familiæ ; ad Joannem *Dulſchium* ſummum Regis Poloniæ Camerarium ; ad Martinum *ab Eden* ; ad Valentinum *Erburtum* Epiſcopum *Præmislienſem* ; ad *Galliæ* regem *Carolum IX* ; ad *Galliæ* reginam, *Catharinam Medices* ; ad Gerardum *Grosbechium* Decanum *Leodienſis* Eccleſiæ ; ad Franciſcum *Guiſium* Ducem ; ad Baſilium *Heroldum* (*u*) ; ad Joannem *ab Hoja* Epiſcopum Oſnabrugenſem ; ad *Carolum* Lotharingicum, Cardinalem ; ad *Magdeburgenſem* Archiepiſcopum, *Sigismundum*; ad Decanum & Capitulum *Metenſe* ; ad Petrum *Miſcovium* Regis *Poloniæ* ſummum Secretarium ; ad *Pium IV.* ſummum Pontificem ; ad *Pragenſem* Archiepiſcopum, *Muglitium* ; ad Martinum *Rithovium* (*x*) *Iprenſem* Epiſcopum ; ad Udalricum *a Rungſech* ; ad Ludovicum *Sotomayorem* (*y*) ; ad Franciſcum *Turrianum* (*z*) ; ad Georgium *Vicelium* (*a*) ; ad *Wladiſlavienſem* Epiſcopum ; ad Viglium *Zuichemum* (*b*). IVo. Nonnullas *Noſtri* Epiſtolas

(*u*) De Viro hoc docto conſulendus BAYLE in *Diction. hiſtor. & critiq.*

(*x*) RITHOVII merita litteraria habes apud SWERTIUM in *Athenis Belgicis.*

(*y*) De celeberrimo hoc familiæ *Dominicanæ* alumno videatur *Echard & Quetif.*

(*z*) TURRIANUM, plurimis libris editis illuſtriſſimum, celebrant ALLEGAMBE, POPE-BLOUNT, ANTONIUS, NICERON, DUPIN, TEISSIER.

(*a*) De *Vicelio* vel *Wicelio* vide JOECHERN in Gelehrten-Lexicon, & quos hic citat, Auctores. Adde *Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat. T. III. p. 7. in Notis.*

(*b*) Virum hunc, & doctrina & negotiis geſtis maximum, meritis laudibus proſecuti ſunt ADAMUS, MIRAEUS, SWERTIUS. Confer PAPENDRECHTII *Analecta Belgica.*

las exhibuit CYPRIANUS in *Tabular. Rom. Eccleſ.* ſed haud alias, quam quæ ſuperiori *No. IIIo.* jam indicatæ fuerunt. Vo. Epiſtolas *duas* alias ad *Viglium* ZUICHEMUM dedit luci PAPENDRECHTUS in *Analectis Belgicis*, *T. II.*

Sunt autem *Epiſtolæ* hæ omnes, præterquam quod ſermone latino elegantiſſimo ſcriptæ ſint, plenæ ſinceræ ac piæ amicitiæ teſtificationibus, produntque quam luculentiſſime ſalutis animarum curandæ; Religionis ſanctæ tuendæ & modis, quibus fieri poſſet, omnibus amplificandæ; neceſſitatum, & utilitatum ſacræ ac profanæ Reipublicæ tum depellendarum, tum augendarum; ſublevandæ egentium inopiæ; bonos, doctos ac bene meritos promovendi; litteras & litteratos quam maxime adjuvandi ſtudium ingens atque ardentiſſimum.

Conſulto, benevole Lector! ac deditiſſima opera in his omnibus enucleatius proponendis longius immorari placuit: tum ut inde diſceres probe, quis character *Noſtro*, quam pulchra amabilisque animi facies fuerit: tum ut inde quam clariſſime intelligeres, Vir qualis ac quantus extiterit, & quam magno in honore orbe *Europæo* univerſo habitus fuerit *Otho*, cui liberrima facultas erat, ſummos Eccleſiæ & Imperii præſules; Viros dignitatibus, & officiis geſtis ſpectatiſſimos; Viros doctrinæ, & librorum vulgatorum laude multo florentiſſimos per litteras, quandocunque vellet aut res poſtulabat, adeundi: cui ſors optatiſſima contigit horum omnium aut ſavore aut benevolentia, & epiſtolarum mutuo ab eis miſſarum honore perfruendi (*c*).

Vidi-

(*c*) Inter alios ad *Noſtrum* litteras dedere *Interpretes Concilii Tridentini*, *Julius* POGIANUS, *Michael* BONELLUS Cardinalis, de quibus vide Librum: *Jul.* POGIANI *Epiſtolæ*

Vidimus de monumentis litterariis, quæ Cardinalis ſuo Marte vulgavit: Videamus modo de iis, quæ ab aliis exarata Auctoribus publico obtulit. Sunt autem

XV. *Miſſale ſecundum ritum Auguſtenſis Eccleſiæ diligenter emendatum, & locupletatum, ac in meliorem ordinem, quam antehac, digeſtum. Mandato & Impenſis RRmi... Othonis... ad Dei honorem, Eccleſiæ ſuæ, ſuorumque Clericorum profectum, novis typis, quam fieri potuit, elegantiſſime excuſum. Anno ſalutis* 1555. *Dillingæ. In ædibus Sebaldi Mayer.* in *folio.* Opus ſumma arte, elegantia, nitore excuſum eſt, cui *Otho* in hæc verba præfatur: *Quum inter cetera, quæ in diœceſi noſtra deſiderari videbantur, magna nobis librorum Miſſalium penuria ſignificaretur, quæ partim ob temporis diuturnitatem ab ultima editione, partim etiam per horum temporum bella (quibus ſacra omnia prophanata ac direpta ſunt) acciderat, committere non potuimus, quin exemplo prædeceſſorum noſtrorum... huic in tempore conſuleremus defectui... Proinde nec labori nec ſumptibus parcentes manum operi admovimus, ac antiqua illa Miſſalium volumina ſumma diligentia perlegimus & contulimus: aliisque doctis & hujus rei peritis Viris examinanda & corrigenda tradidimus: atque ita partito cum aliis labore effecimus, ut... hic præſens Codex caſtigatior ac locupletior... & charactere novo ac eleganti ornatus in lucem prodeat...*

XVI. *Tractatus de Adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ & de Celebratione Miſſæ ex Canonibus & probatis Auctoribus: cui adjunctus eſt Libellus* D. *Jo-*

ſtolæ & Orationes, *T. I. III. IV.* Deinde etiam *Pius V.* Pontifex litteris *Noſtrum* dignatus eſt, quas habes in *Joſ. Ant.* STEINERI *Synodico Auguſtano*, *T. II. p.* 343.

D. Joann. de Lapide, S. Theologiæ Doctoris, de Reſolutione Dubiorum circa celebrationem Miſſæ occurrentium. Additus eſt etiam brevis & pius Dialogus de Diſpoſitione ad celebrationem Miſſæ &c. in 8o. *Dillingæ. Excudebat Sebald. Mayer.* Præit Epiſtola *Othonis*, qua docet, ſe, *quia .. ſacerdotes plerique nimis irreverenter hoc Sacramentum contrectarent, ta is excudi mandaſſe hos Libellos*, offerens eos omnibus, qui ſacris initiati ſunt, aut initiari cupiunt.

XVII. *Petri de* SOTO *Tractatus de Inſtitutione Sacerdotum, qui ſub epiſcopis animarum curam gerunt.* in 4to. *Dillingæ, per Sebaldum Mayer.* 1558. *Noſter* Operi huic, ſuo juſſu & auctoritate edito, *Epiſtolam* (verius integrum Commentarium) præfigere voluit; *in qua bonorum & malorum Præpoſitorum & Paſtorum: Ovium & Hædorum differentiam & conditionem, & inprimis paſtoralis officii periculoſam curam & diſpenſandi rationem ex divinis Scripturis & SS. Patribus fuſe explicavit.*

XVIII. *Catechiſmus Romanus ex Decreto Concilii Tridentini ad Parochos, Pii V. P. M. juſſu editus, nunc vero primum in Germania, cum Majorum auctoritate, & permiſſu Pauli Manutii recuſus. Dillingæ. Apud Sebaldum Mayer. Anno* 1567. Duplex ex hoc incœpto laus ad *Noſtrum* redit; tum quod primus omnium in *Germaniæ* oras utiliſſimum hunc ac præſtantiſſimum Librum, innumeris poſtea vicibus recuſum, invexerit; tum quod eundem addita *Præfatione* ornare voluerit, in qua ſequentibus ſuum conſilium exponit: *Cum nuper ex veteris Eccleſiæ more Synodum noſtram celebraremus ... committere non potuimus, quin hunc Catechiſmum omnibus Clericis noſtris, inprimis vero parochis & concionatoribus magnopere commendaremus.* Et poſtquam multa in laudem hujus Catechiſmi diſputaſſet, ſubdit: *Proinde*

inde nobis illud curæ fuit, Pontificis maximi facultatem in hoc peculiarem conſequi (quemadmodum & conſecuti ſumus) liceret ut Opus Dillingæ recudere, quod Paulus Manutius, doctus inprimis typographus & in libris eccleſiaſticis edendis valde ſtudioſus, primus in lucem dedit, quique nunc in Germania recens idem edi, pro ſua humanitate permiſit... Mandamus.. ut vel hunc latinum, vel quem ex hoc ipſo brevi, germanica lingua probe verſum, edi curabimus, domi omnes & ſinguli parochi habeant...

Et promiſſis ſtrenue inſiſtens Præſul optimus *eundem Catechiſmum*, in linguam *Germanicam* converſum, anno 1568. *Dillingæ*, per *Sebaldum Mayer*, in 4to. publicavit, prævia *Exhortatione* ad *Clerum* univerſum munitum: in qua monet, ſe maxime juſſu *Pii V.* P. M. iſtam Verſionem faciendam curaviſſe.

XIX. *Martinus* LIPENIUS in *Bibliotheca Theologica, T.I. p.* 109. *Noſtro* adſcribit ſequens Scriptum: *Othonis* TRUCHSESSII *Proteſtatio contra Objectiones Anonymi Proteſtantis, quibus evincere conatur: ea Proteſtatione* (poſthabita) *Lutheranæ Confeſſionis exercitia ex Pace Religionis anno* 1555. *in Auguſtana Diœceſi eſſe oportere.* 4o. *Dillingæ.* 1530. Sed plura in hoc LIPENII Aſſerto falſa ſunt. 1o. Annus impreſſionis in aperto mendo cubat; quod omnibus evidens eſt. Certe poni debuiſſet annus 1630. 2o. *Otho* nec ſcribere Opus iſtud, nec ſcribendum jubere potuit, utpote diu ante annum 1630. mortuus. Interim hoc certum manet, *Noſtrum* ſua *Proteſtatione* ter repetita, de qua in ejus *Vita* ſuperius *pag.* 98. dictum fuit, tum huic *Scripto*, quod & latine & germanice anno 1630. *Dillingæ* prodivit: tum etiam Operi inſcripto: *Pacis Compoſitio &c.* anſam dediſſe: quibus ambobus Operibus *Henricus de* KNOERINGEN,

GEN, *Auguſtanus* Epiſcopus, cujus juſſu ſcripta typisque vulgata fuerunt, nil aliud evincere voluit: quam *Othonis*, præceſſoris ſui, *Proteſtationi* vim adhuc integram eſſe, & eundem Cardinalem ſe, atque Eccleſiam ſuam *Auguſtanam*, contra *Pacem Religionis*, ab omni obligatione liberam ſervaviſſe. Vide ſuperius in *Henrico a* KNOERINGEN, *pag.* 32. ubi de his paulo fuſius dixi.

Hæc de litterariis *Noſtri* monumentis. — Reſtat de ejusdem *Inſigni*, quo, præter familiæ ſuæ propria Inſignia, ſæpiſſime uſus eſt, quodque tum in *Nummis*, tum initio vel in fine *Operum* ejus videre eſt, paucis dicere. Duplex illud eſt (*d*).

Unum exhibet *Pellicanum* roſtro pectus percutientem & ſanguine ſuo pullos paſcentem cum epigraphe: *Sic his, qui diligunt.* Iſtud ſibi aſſumpſiſſe *Noſtrum*, ait *Chronicon Truchſeſſiorum*, *p.* 117. quando inter Academicos (*Affidati*) cooptatus eſt: & hoc quidem ſæpiſſime occurrit;etſi CIACONIUS affirmet, vidiſſe ſe tale quoddam mutato lemmate: *Sic his,quos diligo*,in Numiſmate apud *Car.Ant. de Puteo.*

Alterum ſiſtit *Pellicanum*, *Aquilam bicipitem*, & *Chriſti crucifixi imaginem* cum lemmate: *Sic his, qui diligunt.* Hujus poſterioris generis *Numiſma* repperitur in *Muſæo Mazzuchelliano*, *Tom. I. Tab. LXXXII.*

Obſervatu quoque digna ſunt Inſignia, quæ *Noſter* adhiberi voluit in fronte *Statutorum Collegii Dillingani*, 1553. *Romæ.* de quibus paulo ante dixi. Ibi videntur tria Scuta. *Primum*, in medio, Inſignia gentis *Truchſeſſiæ* infra thiaram cardinalitiam poſita exhibet. *Secundum*, ex parte dextra, habet

(*d*) V. CIACONIUM; *Muſæum Mazzuchellianum*, *T. I. p.* 364. KHAMMIUM in *Hierarch. Aug. P. I. p.* 356. 357. *Chronicon Truchſeſſiorum*, *P. II. p.* 525.

bet leones ; malleum deauratum pontificium ; pinus ; columbam igneis flammis circumdatam , ſignum S. Spiritus, cum epigraphe : *Verba mea quaſi ignis , & quaſi malleus conterens petram. Tertium*,ex parte ſiniſtra , Pellicanum repræſentat , cum lemmate : *Sic his , qui diligunt.* Obſervari item merentur Inſignia , quæ *Decretis ſynodalibus anni* 1567. præfigi *Noſter* voluit : Sub thiara cardinalitia cernitur Pellicanus cum pullis , tenens ante ſe ſcutum, quo Truchſeſſiæ gentis arma , pinus, & ſol in Zodiaco continentur.

Coronidem his omnibus imponat Obſervatio quædam mea nec futilis (ut arbitror) nec a propoſito diſſonans:jure nimirum ac merito magnopere gratulandum eſſe Eccleſiæ *Auguſtanæ*, quod per *ducentos* (& quod excurrit) *annos continuos* , videlicet ab anno 1421. ad annum 1646. eos divina providente clementia nacta fuerit Epiſcopos, qui tum virtutibus ſacro Antiſtite dignis,tum præſtanti doctrina mire excelluerunt : qui *Eccleſiam* & *Imperium* per turbulentiſſima tempora conſiliis, legationibus & negotiis præclare geſtis egregie adjuvarunt: qui omnem diligentiam,ſtudium, operam ad commune bonum promovendum augendumque impenſe contulerunt: qui denique, editis ingenii monumentis , doctrinam ſuam Eccleſiæ ſuæ, orbique univerſo teſtatam facere minime neglexerunt. Sunt autem illi *Petrus a* SCHAUMBURG , *Joannes de* WERDENBERG , *Fridericus* à ZOLLERN, *Henricus a* LICHTENAU, *Chriſtophorus* à STADION, *Otho* TRUCHSESSIUS , *Joannes Egolphus de* KNOERINGEN,*Marquardus* à BERG, *Joannes Otho de* GEMMINGEN , & *Henricus de* KNOERINGEN,quorum omnium memoriæ ſacratiſſimæ debitas laudes in præſenti *Alphabeto* hucusque cum maxima animi voluptate , nec omnino infelici (ut arbitror) conatu , perſolvi. *Cum*

Cum ſub regimine mox memoratorum Eccleſia Auguſtanæ *Præſulum plures vixerint in eadem civitate Viri litterati, qui vel opera conſiliisque ſuis juverant ſacros hos Antiſtites : vel privatim optimis litteris illa ætate vacarunt, eos, velut in quandam* Appendicem ad Vitas dictorum Epiſcoporum *aggregatos, collectim laudare non ineptum judicavi; eo maxime conſilio, ut ex dicundis major lux jam a me dictis affundatur. Primus itaque ſit*

I.

Jodocus PFLANZMANNUS, qui, quà Impreſſor Librorum, utpote proprium typographæum ſub finem ſæculi XV. exercens, in *Additamentis* ad meam *Diatribam de Origine & Incrementis artis typographicæ in urbe Auguſta Vindelica* (*a*) : a me laudatus fuit: jam vero, quà Vir doctus & *legalis ſcientiæ* promovendæ minime incurioſus, paucis celebrandus eſt. Vixit is ſub *Petro a* SCHAUMBURG, *Joanne de* WERDENBERG & *Friderico a* ZOLLERN; fuit *Advocatus Conſiſtorii* (*b*) & *Procurator Curiæ epiſcopalis Auguſtanæ*: adſtitit Translationi *S. Symperti* a *Friderico a* ZOLLERN anno 1492. celebratæ (*c*): tranſtulitque anno 1448. *Oberti ab* ORTO Opus feudale; de quo *Carol. Ferdinand.* HOMMELIUS in *Litteratura Juris*, *p.* 117. ait: *Habemus etiam quandam Librorum feodalium Oberti ab* ORTO *germanicam Verſionem ſub titulo*: Das Buch der Lehenrecht, *quam compoſuit Jodocus* PFLANZMANN. *Impreſſus Liber anno* 1494. *in folio*, *Auguſtæ Vindelicorum. Emi Librum*

(*a*) Habes *Additamenta* iſta in *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, *Alphabeto I.* ad finem.

(*b*) *Vide ibidem.*

(*c*) V. PEZII *Theſ. Anecd. noviſſ. T. II. P. III. p.* 451.

Librum ex Bibliotheca Schwarziana, *in cujus Catalogo*, *P. II. p.* 231. *no.* 573. *recenſetur.* Confer Librum: *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache. T. VI.* ubi pro anno impreſſionis aſſignatur annus 1493. & *Verſionis* laudabiliori, quam feliciori (ut illa ferebat ætas) conatu ſuſceptæ nævi fuſius taxantur.

II.

Wolfgangus AITINGER, qui temporibus *Friderici a* ZOLLERN, & *Henrici a* LICHTENAU epiſc. *Auguſt.* vixit, edidit *Tractatum ſuper Textum Revelationum* METHODII. in 4to. *Auguſtæ*, per *Joann. Froſchauer.* 1496. *Kalendis Septembris* (*a*). Alia editio prodiit *Baſileæ*, anno 1498. per *Michaelem Furter*, in 4to. curante *Sebaſtiano* BRAND (*b*). Hujus integram ſubſcriptionem apponere juvat, quod & nonnulla ad perſonam *Noſtri* attinentia & editionis conſilium pandat:

„ Tractatus continens in ſe quinque Capitula de fi-
„ ne quinti flagelli Eccleſiæ ſuper *Textum divina-*
„ *rum Revelationum B. Methodii martyris*, cum
„ præfatione ac concordantiis authenticis, notabi-
„ libusque diverſis Textui conformiter applicatis
„ hic complentur laborioſa cura & ingenio *Wolf-*
„ *gangi Aytinger Clerici ac incolæ Auguſten. Vin-*
„ *delicorum*, *artium Magiſtri*, *nec non juris utrius-*
„ *que Promoti*: qui motu compaſſionis orthodoxæ
„ Fidelium modo mancipatorum in altera ſecunda-
„ que Babylonia, videlicet *Turcia*; qui in ſangui-
„ ne

(*a*) V. ZAPFII *Annal. Typograph. Auguſt. p.* 42.

(*b*) Hæc Editio extat in Biblioth. *FF.* VEITH.

„ ne Agni nobiſcum redempti ſunt : ac pro ſpecia-
„ li conſolamine deliberationis eorundem per mag-
„ num triumphum Regis Romanorum, & Catholi-
„ cos in proximo conflictu habendum cum Iſma-
„ heliticis, ſicut libellus præſentis opuſculi vere
„ delucidat. Pro quo feliter orate. “

Editionem *tertiam* ſæculi XV. *ſine loco & anno* memorat *C. Th.* GEMEINER in *Nachrichten von alten Büchern der Regensburg. Bibl.* Has editiones ſecutæ ſunt ſub initia *ſæculi XVI.* duæ aliæ : ignoratæ a *Jo. Alb.* FABRICIO (*c*); una anni 1504. *Baſileenſis*, quam citat *Hermannus von der* HARDT in *Autographis Lutheri*, in Præfatione : altera anni 1515. iterum *Baſileæ* procuſa, quæ extat in Bibliotheca *San - Udalricana*, *Auguſtæ.* Extat etiam hoc Opus in *J.* WOLFII *Lectionibus memorab. Centuria III.*

Nequeo ſatis mirari, cur *Achilles Pirminius* GASSARUS (*d*) dicta *Wolfgangi* noſtri male interpretari, eisque falſum ſenſum affingere voluerit, dicens: *Scripſit . . . Commentarium in Methodii prophetiam, in qua non ſolum Cleri in ſacris negligentiam, ſed & vitæ inhoneſtatem acriter reprehendit, ſimul ac Antichriſtum non in materiali, ſed in myſtica Babylone, quæ eſt Roma, naſciturum regnaturumque aſſeruit.* Equidem *Wolfgangus* vitia Cleri ſua ætate graſſantia reprehendit, & ex illis triſte, quod ſub initia ſequentis ſæculi erupit, ſchiſma divinaſſe videtur. At quamnam, ſub *myſtica* ſua, *Babylonem*

(*c*) De aliis Editionibus vide eundem in *Biblioth. Græc. L. V. p.* 258.

(*d*) In *Annal. Augſburg.* inter MENCKENII *Script. T. I. p.* 1705.

nem intelligat, clare tum in allata ſuperius ſubſcriptione Operis, tum in contextu ipſo exponit, dicens: *Redemptio autem populi Iſrahelitici de captivitate Babylonica vere præfigurabat redemptionem populi Chriſtianorum, modo capti in Turcia, quæ eſt altera & ſecunda Babylon; de qua myſtica Babylonia, hoc eſt Turcia, in præſenti XVIII. Capitulo loquitur Joannes.* Atque iterum: *Dicendum eſt, quod per Regem Romanorum intellexit quendam Regem Chriſtianorum de Ritu Romanæ Eccleſiæ occidentalis.* Quis crediciſſet, verba tam clara in ſenſum perverſum a quoquam contorqueri poſſe? Contorſit GASSARUS. Hinc intelliges, Lector! quæ ſit GASSARI fides, quam tamen ante aliquot luſtra Scriptorum quidam mire deprædicavit. Sed ad *Noſtrum* redeat oratio.

Is præterea Operi *Joannis* STAMLERI *de diverſarum gentium Sectis*, anno 1508. *Auguſtæ* procuſo Correctoris operam impendit; uti ſubſcriptio docet: *Impreſſum Auguſtæ &c. cura, correctione & diligentia Venerabilis D. Wolfgangi Aittinger Presbyteri Auguſtenſis ac bonarum artium &c. Magiſtri Colonienſis.*

III.

Joannes MADER, alio nomine, quod ſibi pro more illorum temporum adſumpſerat, *Foeniſeca* dictus, *Auguſtanus* floruit ineunte ſæculo XV. De eo *Paulus a* STETTEN (*a*) ad annum 1506. ſequentia narrat: *Hoc circiter tempore Magiſter Joannes Maderus juventutem Auguſtanam Grammatices aliarumque liberalium Artium præceptis inſtituit: atque ob eam rem a tributo, quod ex bonis mobilibus pendi ſolet,*

(*a*) In Libro: *Geſchichte von Augſpurg*, *T. I. p.* 261.

let, *immunis declaratus eſt.* Hanc de *Noſtri* meritis honorificam opinionem, quam Senatus publico, de quo mox dixi, beneficio teſtatam fecit, alii haud imitati fuiſſe videntur. Quare *Ach. Pirm.* GASSARUS (*b*) ait: *Circiter quam tempeſtatem* (1515.) *non tam claruit, quam contemptus eſt doctiſſimus Philoſophus, Virque ſingularis Joannes Maderus, ſive Foeniſeca.*

Etſi vero præter STETTENIUM & GASSARUM alii Scriptores, uti CRUSIUS (*c*) GESNERUS (*d*) STENGELIUS (*e*) MANGETUS (*f*) *Noſtri* non ſine laude meminerint, nullus tamen de *Vitæ* ejus *circumſtantiis* plura in medium protulit. Quare ad ingenii monumenta, ab eodem relicta, tranſeo.

I. Edidit *Noſter* PRUDENTII *Pſychomachiam*, cui, *Auguſtæ*, 1505. (g) in 4to. per *Erhardum Oeglin* excuſæ, *Epiſtolio* proluſit, quo rationem hujus Libri explicavit. In fine legitur: *Caſtigata per Joannem Foeniſecam Auguſtenſ. collatis aliquot vetuſtis exemplaribus.*

II.

(*b*) In *Annal. Augſburg.* inter MENCKENII *Scriptores*, *T. I. p.* 1754.

(*c*) In *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 554. ubi addit: *Ex ejus* (*Joannis* noſtri) *familia tempore Gaſſari ſupererat Wilboldus Mader Auguſtæ, nani fere ſtatura, mercator, antiquis numiſmatibus & aliis gaudens.*

(*d*) In *Bibliotheca univerſ.*

(*e*) In *Comment. Rer. Auguſt. p.* 268.

(*f*) In *Biblioth. Scriptor. medicor. T. I. P. II.*

(*g*) Ita teſtatur GESNERUS in *Bibl. univerſ.* Confer ZAPFII *Annal. Typograph. Auguſt.* ad hunc annum. Editio iſta latuit *Jo. Alb.* FABRICIUM.

II. Opera Joannis Foeniſecæ Auguſtenſ. hæc in ſe habent (*h*).

Quadratum ſapientiæ : continens in ſe ſeptem artes liberales veterum.

Circulos bibliæ IIII. in quibus metaphyſica moſaica.

Commentaria horum.

Ad hæc, libri rubrica (*i*) inferius ſignati: neceſſarii ſunt.

ſermo	Grammatica	*don.alex.gua.laſca.*Poetæ
	Logica	
	Rhetorica	
	Monaſtica	
ἐθος	Oeconomica	
i. mos	Politica	
	Alcarithmus ſubalternus	*novus*
	Arithmetica	*boetius*
	Geometria	*boetius*
mathematica	Perſpectiva ſubalterna	*petrus iacobi*
	Muſica	boetius
	Aſtronomia	boetius *ephemerides*
	Geographia	*ptolomæus Hiſtorici*
	Phyſica	
philoſophia		
	Medicina ſubalterna	*dioſcorides*
theologia	Metaphyſica	*biblium triplex*

Opus totum, una cum *figuris*, conſtat pagellis viginti, in 4to. In fine leguntur ſequentia: *Impreſſa Auguſtæ Vindelicorum, communibus impenſis Joannis Miller, atque Joannis Foeniſecæ. Anno a nativitate domini. M. D. XV. ad IIII. Cal. Maias.*

 Edi-

(*h*) Studio *Titulum* hujus *lucubrationis* pervetuſtæ, raræ ac omnino ſingularis appono, prout apparet in impreſſo exemplari.

(*i*) Quæ in *Titulo* impreſſi exemplaris *rubricata* ſunt, ego litteris *curſivis*, diſcriminis ergo, imprimenda curavi.

Edicto Cæſ. Maie. vetitum eſt, ne quis hæc opera Foeniſecæ intra quinquennium per univerſum imperium imprimat, aut alibi impreſſa in imperio vendat &c. &c. De reliquo ſe *Noſter* in hoc Scripto non ſolum *philoſophum doctiſſimum* & *virum ſingularem*, ut GASSARUS monuit, ſed inſuper *hebraicæ* linguæ peritum oſtendit.

III. Librum quoque compoſuit, cui titulum fecit *Deperdita Philoſophorum*, non niſi conſummatis ſcripta, quæ tamen amplius non extant (*k*).

IV. Correxit & ſupplevit CONRADI *a Lichtenau*, *Abbatis Urſpergenſis Chronicon*, quod memoratus *Joannes Miller* anno 1515. *Auguſtæ* impreſſum primus orbi litterato dedit (*l*). Etenim in fronte Operis de ſe his verbis teſtatur: *Difficile nobis arduumque fuit, optime Lector!* Chronicon *hoc* Urſpergenſe *emendare; unicum enim & id quidem admodum mendoſum extabat exemplar. Conferentes tamen illud cum reliquis tum Chronographis tum hiſtoricis redintegravimus: inter imprimendum quoque calchographorum lateri aſſiſtendo, a principio usque ad calcem correximus; pro qua re uni Joanni Miller, cujus impenſis liber hic prodiit in lucem, nobisque gratias habe.*

V.

(*k*) V. GASSARUM in *Annal. Augſburg. l. c.*

(*l*) De primæva hac Editione, ejusque promotoribus *Chuonrado Peutingero*, & *Henrico a Lichtenau Epiſc. Auguſt.* gentis ſuæ poſtremo, vide *Vitam Chuonr. Peutingeri* a me editam anno 1783. *p.* 84. Ceterum hanc editionem corruptam fuiſſe STRUVIUS in *Bibl. hiſtor. p.* 116. affirmat, contraque editionem a *Melanchtone* accuratam laudibus extollit. Sed a *Struvio* magnopere diſſentiunt *Poſſevinus*, deinde & *Henr. Schützius* in *Comment. de Script. & Scriptor. hiſtor.*

V. Extant denique a *Noſtro* complura *Epigrammata*, quibus pro more illius ſæculi Libris per tempora ſua vulgatis, commendationis ergo proluſit, & quibus ſeſe inſignem Poetam monſtravit.

IV.

ALTENSTAIG (*Joannes*) de cujus natalibus nihil expiſcari hactenus mihi licuit; præterquam quod *Mindelhemii*, non ignobili *Sueviæ* oppido, primam lucem aſpexit (*). Adoleſcens *Henricum* BEBELIUM, *Poeticam* & *Oratoriam* in Gymnaſio *Tubingenſi* profitentem, audivit: intimaque amicitia & familiaritate *Jacobi* HENRICHMANNI (*a*) atque *Gregorii* WESELINI, *Schorndorfenſis*, Philoſophiæ Profeſſoris, fruitus (*b*): & anno 1502. *Artium Magiſter* renunciatus eſt. Quinquennio autem poſt (videlicet anno 1507.) una cum memorato *Weſelino* ibidem *Artium Decanatum* geſſit, jam tum *Theologiæ Baccalaureatu* ornatus (*c*).

Quemadmodum *Noſter* litteras humaniores *Tubingæ* didicit; ita easdem illic & docuit cum maxima nominis fama, in *Contubernio*. Laborum autem ſcholaſticorum, quos pro juventutis commodo ſubiit, fructum publice expoſuit vulgato *Vocabulario*, quod maxime ductu atque hortatu trium ſupra laudatorum clariſſimorum Virorum conſcribendum ſuſcepit, hac ratione pro virili ſua eo multum confe-

 rens,

(*) Præplacet aliis, locorum gnaris, *Noſtrum Altenſtaigæ*, vico civitati *Mindelheimenſi* proximo, natum eſſe.

(*a*) HENRICHMANNI laudes propoſui in *Alphabeto I.* hujus *Bibliothecæ Auguſtanæ*.

(*b*) Patent iſta ex Epiſtolis *Vocabulario* a *Noſtro* edito adjunctis.

(*c*) Hoc teſtatur CRUSIUS in *Annal. Suev. Dod. III.* p. 519. 530.

rens, ut tradendæ *Grammatices* methodus in melius corrigeretur; dum voces grammaticales (Utor ipſiſſimis *Noſtri* verbis) ita interpretatas ſtudioſæ juventuti propoſuit, *ut eas eruditi & docti, non ut Catholicon, Hugutio, Mammetrectus, Papias, Græciſta ... ceterumque imperitum vulgus; ſed ut Aul. Gellius, Nonnius Marcellus, Feſtus Pompeius, Pomponius Lætus, Nicolaus Perottus, Petrus Marſus, Varro, Ubertinus, Martinus Phileticus, Bartholomæus Merula, Raphael Regius, Neſtor, Calepinus, & Curius Lancellotus interpretati ſunt* (*). Juvat, ut dictis lux major accedat, locum afferre CRUSII ad annum 1506. ſcribentis (*d*): *His igitur temporibus cum cultiora ederentur Grammatica, Alexandri Galli Grammatica, quæ diu in ſcholis, monaſticis præſertim, dominata fuerat, evaneſcere cœpit. Paulatim enim per viros doctos expurgari ſordes, & nitidiora fieri litterarum ſtudia cœpta ſunt.* Et ad annum 1508. memorat ſequentia: *Profeſſor in eadem* (Tubingenſi) *Academia tunc erat Joannes* ALTENSTAIG *Mindelheimenſis ſectator Modernorum vel Recentiorum; qui ſcripſit &c.*

Quanquam autem, dum in docendi munere fuit, pro juventutis ſibi concreditæ egregia inſtitutione modis, quibus fieri poſſet, omnibus allaboravit; tamen optimum laudatiſſimumque Theologiæ ſtudium, ad quod ſe jampridem contulerat, omni conatu proſequendum, *nec in Poetica & Oratoria plus olei, quam in ſacris Litteris ſibi conſummendum* putavit: ad quas ipſas perdiſcendas acerrimo ſtudio colla-

(*) Confer *Jo. Alb.* FABRICII *Bibl. med. & inf. Latinit.*

(*d*) Vide CRUSII *Annales*, p. 528. 533.

collato id eſt confecutus, ut doctoralibus SS. Theologiæ inſignibus condecoraretur (*e*).

Sacris initiatus Ordinibus, *monitore & hortatore Johanne* FRUNTSPERGER Canonico *Auguſtano, Drioſpolitano* (*Eichſtätt*) & *Brixinenſi*, ab ea nobiliſſima *Equitum auratorum*, quorum tum ditioni *Mindelhemium* & finitima regio omnis ſubjacuit, familia *Beneficium* (*f*) *eccleſiaſticum* anno 1510. ſibi collatum accepit: eodemque anno, *Pollingæ*, monaſterio *Canonicorum Regularium S. Auguſtini*, in *Bavaria ſuperiore* ſito juniores Fratres non ſolum humanioribus, ſed etiam philoſophicis ac theologicis ſcientiis imbuit, eo abs *Joanne Zingieſſer* Præpoſito, ex *Tubingenſi* gymnaſio *ſumptibus non mediocribus*, evocatus. Rei ſeriem ipſemet enarrat in *Epiſtola* ad dictum *Præpoſitum* digniſſimum anno 1510. data, præfixa *Commentario in H. Bebelii Triumphum Veneris*: & in alia anno 1511. ſcripta, præmiſſa *Operi pro conficiundis Epiſtolis*, his verbis: *Voluiſti vel præcepiſti, ut quædam de Latinitate præcepta conſcriberem, quibus Fratres tui latiniores vel elegantiores efficerentur... Quid autem meo labore perſecerim, tua Præſtantia optime novit; Fratres enim tui magnam impendentes diligentiam, adeo elegantes litteras & ornatas ſcripſerunt, ut quiſque ex Ciceronis officina easdem exiiſſe arbitraretur, qui barbariem me monente fugientes, elegantiam induerunt... Cupis &, quantum potes, eniteris, ut tui ſubditi non modo inſtituantur in Philoſophia, & in SS. Litteris, quas te hortatore doceo feſtis diebus... Voluiſti inſuper, ut Tui in Dialecticis inſtituerentur, ut Theologiam eo perfectius abſolutiusque cognoſcerent, utque*

K 5 *ean-*

(*e*) V. JOECHERN *Gelehrten-Lexicon.*

(*f*) Ipſe in *Epiſtola* ad memoratum *Canonicum.*

eandem conſcriberem, quod modo facio. In hoc deinde negotio, quantum eliminandæ latini ſermonis ruditati, contra venuſtati ejusdem provehendæ ſtuderet, rurſus oſtendit, dum diſcipulis ſuis in ſcribendis *Epiſtolis*, *Leſcherium*, *Pontium Carolum*, *Laborinthum*, *Tibinum*, *Ganfredum*, *Samuelem de monte rutilo*, *Joannem Boridam aliosque a Latinitate deſciſcentes ſummopere fugere; Ambroſium vero, Hieronymum*, *Marium*, *Philelphum*, *Conradum Celten*, *Nicolaum Perottum*, *Franciſcum Nigrum*, *Bebelium*, *aliosque in Latinum receptos impigre ſequi præcepit.* Quam delicata autem & ſubtili criſi in legendis Auctoribus uſus ſit, idem aperte oſtendit, dum Auditores ſuos monuit, *non ab Hieronymo vel Auguſtino & aliis*,, *etſi vario doctrinæ genere claruerint*, *ipſeque eos in aliis*, *quæ ſcribebat*, *imitaretur*, *non ubique Latinitatem petendam, ſed potius ſaluberrima documenta ſumenda eſſe; quippe qui non fuco & ornatu rem*, *ſed veritate magis ponderare voluerint &c.*

Cui poſthæc admirationem, aut verius bilem non moveat iniquum & præceps MORHOFII de *Noſtro* judicium, in *Polyhiſtore philoſophico*, *L. I. c.* 13. *n.* 10. ſcribentis: „ Eſt & alius quidam *Jo-* „ *annes* ALTENSTAIG, qui *Artem epiſtolandi* ſcrip- „ ſit, e cujus libri titulo ſatis apparet, quale hic „ elegantiarum cornucopiæ lateat. Idem ſcripſit „ *de vocabulis barbaris*, ipſe *barbarus*." Profecto ipſa MORHOFII verba produnt, eum Opera *Noſtri*, Grammaticæ inſervientia, oculis non uſurpaſſe: Alias non *Artem epiſtolandi*, ſed *Opus* (cui *ſat*, puto, *latinum* titulum *Noſter* fecit) *pro conficiundis Epiſtolis* ab eo ſcriptum memoraſſet: nec *barbarum* vocaſſet eum, qui cum BEBELIO, HENRICHMANNO

&

& aliis, ob idipſum *Recentioribus* dictis, barbariei bellum indixerat, eamque eliminare modis omnibus allaborarat. Sed ab inepta MORHOFII criſi, jam ante me, purgavit *Noſtrum* æquior judex *Jacob.* BURCKARDUS in Libro: *De Linguæ latinæ fatis, P. II. p.* 423. ubi, ob Latini ſermonis ad primævam elegantiam revocandi ſtudium, *Noſtrum* inter eos *Germanorum* magna cum laude annumeravit, quorum opera *Latinitas* priſtino nitori reſtituta ſit.

Pollinga in patriam vergente ad finem anno 1512. reverſus *Noſter* idem docendi munus in monaſterio *PP. Auguſtinianorum* ſuſcepit, exoratus a *P. Joanne Matthæi*, Priore; *qui magnopere id curæ habuit, ut Fratres in moribus, artibus ac diſciplinis inſtituerentur: quæ res etſi Noſtro* (Ipſa illius verba interpono) *perdifficilis acciderit, quod lectioni ſacræ & ſcriptitationi incumberet; tamen, quod petitio juſta & honeſta videbatur, multis prodeſſe cupiens, exiſtimansque ſe non plus ſibi, quam ad aliorum utilitatem & commodum eſſe natum, laborem hunc recuſare noluit*; quem tum *P. Prioris* liberali munere, tum inſigni Fratrum profectu abunde ſibi compenſari poſtea vidit. Eo tempore *Noſter*, hortationibus *Caroli Roſe, Auguſtiniani Mindelhemenſis*, Concionatoris perdocti incitatus, ad Opus novum nec hactenus viſum, *Vocabularium* ſcilicet *Theologiæ* conſcribendum animum adjecit, quod intra quatuor continuos annos abſolutum, dicatumque *Chriſtophoro a* STADION *Epiſcopo Auguſtano*, tum etiam *Joanni* STAUPITZIO Artium & Theologiæ Doctori eruditiſſimo &c. anno 1517. typis publicavit. Quanti moliminis, quantæque lectionis hoc Opus fuerit, ipſe Auctor in *Admonitione ad Lectorem* fuſe docet, aiens: *Uſus ſum verbis non Grammaticorum, non Rhetorum vel Oratorum, & Poëtarum, ſed theologicis,*

gicis , & ut puto latinis in hoc Opere , & imitatus ſum præcipue Auctores , quos cum diligentia legi , vel pro majore parte ; Gabrielem Byel Præpoſitum primum in Schonbach : S. Bonaventuram : S. Thomam Aquinatem : Thomam Argentinenſem : Alexandrum de Ales : Albertum M. Suevorum gloriam : Petrum Paludenſem : Petrum de Alliaco : Gerſonem : Joannem Scotum : Richardum de media villa : Wilhelmum Ockam : Franciſcum Mayronis : Gregorium de Arimino : Robertum Holkot : Pelbartum Temeſwarienſem : Stephanum Bruliferum : Jacobum de Valentia : Guilelmum Minatenſem : Eckium : Auguſtinum : Hieronymum : Gregorium : Ambroſium : Lactantium : Paulum Corteſium , qui inter ceteros magna claret eloquentia , & elegantia ; & putares , Ciceronem loqui , quoniam ipſe ſcribit elegantiſſime : & Petrum Lombardum ; quorum omnium & aliorum etiam dicta & ſcripta adduxi.

Cum *Altenſtaigius* hoc *maximi laboris* Opere , *ad utilitatem* (ut ait) *orthodoxæ Fidei* & *totius chriſtianæ Religionis* ſuſcepto , epiſcopo *Chriſtophoro a* STADION propius innotuiſſet , eique omne ſuum ſtudium , & diligentiam , & obſervantiam voviſſet; digniſſimus iſte Eccleſiæ *Auguſtanæ* Præſul , capto diœceſis , ad cujus gubernacula recens acceſſerat , viſitandæ propoſito , haud differendum longius putavit , quin *Noſtrum* in ejus paſtoralis laboris partem vocaret. Quare eidem injunxit , ut diœceſin , qua parte in *Bavariæ* ducatum extenditur , viſitando peragraret : quod *legationis genus , ſibi impoſitum , non ſine utilitate , laude & honore Dei & Eccleſiæ* (ut ipſe de ſe teſtatur) & *Chriſti fidelium commoditate ac fructu eſt exſecutus ; Malos namque Miniſtros Dei & Eccleſiæ a via perverſa .. dehortatus eſt :*

eſt : molles , luxuriantes , devirginatores , laſcivos , bibulos , inſolentes ... arguit & quibus potuit verbis reprehendit : Bonis vero & Deum timentibus perſuaſit , ut in bonis operibus perſeverarent .. virtutis viam pergerent , populum bene inſtituerent , nullaque ratione animas negligerent... Sic , cum paſtoralia epiſcopi ſui vota quam maxime ſecundaſſet , *egregio munere & pulcherrimo dono* affici ab eodem promeruit : *quod etſi ſuapte natura ſplendidum & magnum fuerit , tamen ſe magis epiſcopi beneficentia & munificentia , quæ inde elucebat , delectatum eſſe ,* profeſſus eſt (*g*).

Ex eo tempore , proh dolor ! me omnes ſubito de *Noſtro* notitiæ ſimul deſtituunt : nec ultra quid comperire mihi licuit , utut per litteras *Mindelhemii* ſollicite indaganti. Id unum renunciatum eſt : inveniri in Libro quodam pergameno *Confraternitatis S. Sebaſtiani* , quæ *Mindelhemii* eſt , *Noſtrum* Capellanum dictæ Confraternitatis extitiſſe : ceterum monumenta vetera plurima tempore *Suecici* belli periviſſe.

Vixit adhuc ſcripſitque anno 1523. uti ex inferius dicendis liquebit.

Opera , a *Noſtro* typis publicata , ſunt , quæ ſequuntur.

I. *Vocabularius. Vocum , quæ in Opere grammatico plurimorum continentur , brevis & vera Interpretatio.* in 4to. *Argentinæ.* 1509. Operi præmittuntur pro more illius ævi Epigrammata *Henr. Bebelii* , *Sebaſtiani Reſſeck* (Editio anni 1515. *Hagenovienſis* habet *Keſer* ; quod correctius eſſe arbitror) bonarum

(g) Ipſe in *Dedicatoria* anni 1518. ad *Chriſtophorum* præfixa Operi : *De Felicitate.*

rum Artium ſacræque Litteraturæ invigilatoris, *Matthiæ Kretz* Landſpergii: deinde Epiſtolæ *Jacobi Henrichmanni* ad *Noſtrum*, *Noſtri* ad *Henr. Bebelium*, & ad *Chriſtophorum* Baronem *Schwarzenbergicum* diſcipulum ſuum. Sequitur ipſum Opus, cui finem facit tum Exhortatio *Noſtri* ad diſcipulos ſuos, tum Epiſtola ad *Gregorium Weſelinum*. Operis utilitatem prædicat *Henrichmannus* ſequentibus: *Nihil eorum omittis, mi Joannes! quæ ad erudiendam juventutem tibi creditam utilia fore cognoſcis. Præter continuum enim laborem, quem clamando, monendo, hortando & increpando in litteraria exerces palæſtra, etiam ſcribendo docere propoſuiſti... Exonerasti profecto juvenum humeros magna mole... Significationem namque, quam multis libris faſtidioſe antea mendicare cogebantur, jam in tuo Libello præſentem..' reperient & videbunt lucidiſſimam interpretationem &c.* Ejusdem autem præſtantiam commendant iteratæ editiones. De editione primæva *Hagenovienſi* anni 1508. teſtatur CRUSIUS. *Argentinenſem* anni 1509. vidi meis oculis. *Pforzenſis* anni 1511. extat in Biblioth. *San - Udalricana*, *Auguſtæ*. *Hagenovienſem* anni 1512. citatam ſe reperiſſe, monet ADELUNG in *Fortſetzung des Jöcherſchen Gelehrten - Lexicon*. *Hagenoenſem* anni 1515. poſſideo. *Baſileenſem* anni 1514. & *Argentinenſem* anni 1515. memorat *Index in Maittairii Annales*: & ſi quæ forte ſunt editiones aliæ, quæ me latent.

II. *Opus pro conficiundis Epiſtolis. De generibus Epiſtolarum. De Vocabulis, quæ abhorrent a Latinitate: & quæ admittuntur in penum latini eloquii, ſecundum partium orationis ordinem. De Orationibus, quibus in Epiſtolis ſit abſtinendum: & quibus ſit utendum ſecundum ordinem partium orationis. De Orna-*

Ornamentis ſive Coloribus rhetoricis : qui ſunt orationis lumina. Epiſtolæ diſcipulorum ejusdem (ALTENSTAIGII). *Diſcipulorum præcepta , regulæque morum & ſtudii. Oratio de Militia chriſtiana.* in 4to. *Hagenoæ.* 1512. Operæ pretium judico , hanc Noſtri lucubrationem *Jo. Alb.* FABRICIO (*h*) & JOECHERO (*i*) penitus ignotam paulo fuſius deſcribere. Præcedit Epiſtola *Noſtri* ad *Joannem Fruntſperger Canon. Auguſt. &c.* Alia Epiſtola *Noſtri* ad *Joannem Zingieſſer* Antiſtitem monaſterii in *Pollingen.* Tertia *Noſtri* ad *Fratres* , bonarum artium & ſacræ litteraturæ ſtudioſiſſimos , in *Pollingen.* Sequitur Opus ipſum , usque ad tractatum *de Orationibus , quibus in Epiſtolis ſit abſtinendum &c.* quem claudit ALTENSTAIGII *ad Fratres Pollinganos Exhortatio* , tum *ejusdem Excuſatio ad Lectorem.* Tractatui *de Ornamentis ſive Coloribus rhetoricis* initium facit Epiſtola *Noſtri* ad Fratrem *Joannem Vend* diſcipulum ſuum : finem autem dat Epiſtola *Noſtri* ad *Conradum Hartmannum* Decanum *Pollinganum.* Hanc excipiunt *Epiſtolæ* euchariſticæ *quatuor* Fratrum *Pollingenſium* , Auditorum *Noſtri* , videlicet *Hieronymi Textoris* , *Sigismundi Dietz* , *Auguſtini Seitz, Baldaſaris Tornatoris.* Succedunt *Diſcipulorum præcepta &c.* Totum Opus claudit *Oratio* Noſtri *de Militia chriſtiana* habita coram Præpoſito , Decano & Collegio *Pollingenſi* in Primitiis (ut haud male auguror) ſupradicti *Hieronymi Textoris.* De reliquo ex hoc Opere patet, *Noſtrum* græce quoque doctum fuiſſe.

III. *Dialectica congeſta & collecta diligenter & non ſine labore ex Auctoribus verioribus & fide digniſſimis* pro

(*h*) In *Biblioth. med. & inf. Latinitatis.*

(*i*) In *Gelehrten - Lexicon.*

pro Fratribus monaſterii Pollingenſis Ord. D. Auguſt. Canonic. Regul. & pro Logicæ ſtudere incipere volentibus. Accedit *Quæſtio, qua quæritur an ſubditi Religioſi mittendi ſunt ad gymnaſium &c.* in 4to. *Hagenoæ.* 1514. Dedicavit hoc Opus *Noſter* anno 15 2. *Epiſtola, Pollingæ* data, mox memorato Præpoſito *Joanni Zingieſſer*, cujus & juſſu conſcripſit: cujus laudes quoque ubivis prono calamo perſequitur.

IV. *Triumphus Veneris Henrici* BEBELII *Poetæ laureati cum Commentario Joannis* ALTENSTAIG *Mindelheimenſis.* in 4to. *Argentinæ.* 1515. Præcedit Epiſtola *Noſtri* dedicatoria ad *Joannem Zingieſſer* Præpoſitum; deinde Carmina *Galli Gigantis* Erythropagani in laudem *Bebelii* & *Altenſtaigii*: *Matthiæ Kretz Landſpergii* in laudem *Zingieſſeri* Præpoſiti, & *Conr. Hartmanni* Decani *Pollingenſis*, & *Henr. Bebelii* Præceptoris ſui: Ejusdem *Matthiæ Kretz Epiſtola* ad *Altenſtaigium*: denique Carmen *Henr. Bebelii* in laudem dicti *Zingieſſeri.* Succedit Opus, cui finem imponunt Carmina *Joann. Weber Weyſenhorenſis*: *Magni Haldenberger Lantſpergii*: *Joann. Piniciani* in laudem *Henr. Bebelii.*

V. *Vocabularius Theologiæ complectens vocabulorum deſcriptiones, diffinitiones & ſignificatus ad Theologiam utilium: & alia, quibus prudens ac diligens lector multa abſtruſa & obſcura theologorum dicta & diſſolvere, & rationum & argumentorum difficiles nodos, & facile ea, quæ in ducem & principem Sententiarum doctores ſcripſerunt, intelligere poterit.* in *folio. Hagenoæ.* 1517. Præmittuntur Carmina *Henr. Bebelii. Joann. Weber* Weyſenhorenſis. *Joann. Boemi Aubenſis*, *Jacobi Henrichmanni.* Dedicatio ad *Chriſtoph. de* STADION. Carmen *Joannis Piniciani.* Dedicatio ad *Joann. Staupitzium*, in qua tum hunc

hunc a generis nobilitate, ſcientia, eruditione, eloquentia: tum Religioſos monaſterii Mindelheimenſis *Ord. S. Auguſtini* a vitæ probitate & religioſæ diſciplinæ obſervantia dignis laudibus prædicat. Aliud Carmen *Joann. Boemi Aubenſis.* Hæc omnia ſubſequitur ipſe *Vocabularius*, cui finem facit *Admonitio Auctoris ad Lectores.* Hæc de editione principe. Reliquæ ſunt *Antverpienſis* anni 1576. non ſine addito ſequenti encomio: *Hunc Auctorem non ſolum theologiæ ſtudioſis, ſed ipſis etiam profeſſoribus utiliſſimum eſſe, mihi perſuaſum habeo, adeo etiam ut demirari ſatis nequeam, qui fieri potuerit, ut tanto tempore* (annis 59.) *ab omnium oculis rejectus & quaſi ſepultus jacuerit.* De ipſo Auctore autem dicitur: *eum ita ſacræ theologiæ doctum fuiſſe, ut vivus reipſa, id eſt, vita non minus quam voce Catholicam fidem docuerit, promoveritque. Veneta* anni 1579. *Lugdunenſis* 1580. *Veneta* cum Auctario *Joannis Tytz.* 1583. *Colonienſis* anni 1619. cum Auctario *ejusdem.* Laudatur Opus hoc in *Dictionario Moreriano*, *P. I. Supplementi*, *p.* 259. his verbis: *Il* (Altenſteig) *compoſa un Dictionnaire de Theologie, qui eſt fort éſtimé.* V. *J. A.* FABRICII *Biblioth. med. & inf. Latinitatis;* & ADELUNG *l. c.* KOENIG *Bibl. v. & n.* ubi falſo annus 1519. pro anno impreſſionis aſſignatur.

VI. *Compendium Vocabularii theologici ſcholaſtici.* Ita teſtatur JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon.* At non *Noſtri*, ſed *Fr. Thom. Beauxalmis* eſſe videtur, qui illud anno 1580. in 16o. *Pariſiis.* ex majori ſupra memorato Opere extractum, vulgavit. V. ADELUNG, *l. c.* & HENDREICH *Pandectæ.*

VII. ISOCRATES *von dem Reich*, *geteutſcht durch Joh. Altenſtaig.* in 4to. *Augſpurg.* 1517. *durch Sil-*

van Otmar. V. *Catalog. Bibl. Bünavianæ. T. I. P. I. p.* 107.

VIII. *Tres Libri de Felicitate triplici* : *una*, *quæ dicitur bracteata*, *perſonata*, *ſive philoſophica*, *humana*, *falſa & erronea* : *altera*, *Chriſticolarum Deo militantium*, *terreſtris ſive viæ*, *vera*, *recta*, *& meritoria vel diſpoſitiva* : *tertia*, *cœleſtis Beatorum ſive Triumphantium*, *ſempiterna*, *abſoluta & integra. Et quæ in hiſce libris continentur*, *deſumpta ſunt ex penetralibus S. Scripturæ*, *doctrina & inſtitutione Sanctorum & Theologiæ Primatum*, *& ex ſcriptis philoſophorum*, *poëtarum & oratorum & hiſtoricorum illuſtrium*. in 4to. *Hagenoæ*. 1519. Præit Dedicatoria *Noſtri* ad *Chriſtorhorum* epiſcopum *Auguſtanum*, & Carmen *Urbani Rhegii*. Succedit Opus ipſum, immenſæ lectionis & multijugæ eruditionis. In fine habetur Epiſtola *Noſtri* ad *Jo. Alantſee* J. V. D. Vicarium generalem *Auguſtanum*, amicum ſuum.

IX. *Tractat von der Fülerey*. in 4to. V. JOECHERN *Gelehrten - Lexicon*, & *Mart*. LIPENII *Biblioth. philoſoph.*

X. *Ain nuzlich und in heiliger Geſchrifft gegründte Unterricht*, *was ein Chriſtenmenſch thun oder laſſen ſoll*, *daß er ſelig*, *und nicht verdammt werd. Durch Joh. Altenſteig, Prieſter zu Mindelheim*. in 4to. *Augſpurg*. 1523. Dicavit *Noſter* hoc Opusculum *A. Joh. Kurnbach* Affini ſuo. V. *G. G.* ZAPFII *Annales Typograph. Auguſt*. in 4to. *p.* 86. & ADELUNG *Fortſezung des Jöcherſchen Gelehrten - Lexicon.*

XI. Præterea *Joannes* noſter in Epiſtola prævia ad *Vocabularium Grammatices* (ſcripta *Chriſtoph.* Baroni *Schwarzenbergio* anno 1508.) promiſit : ſtatim *Orationes* ſuas prodituras eſſe. Sed hæ anno 1515. nondum comparuerant; nam in *Admonitione*

Typo-

Typographi, ſubjecta Editioni *Hagenovienſi* memorati anni dicitur: *cujus* (Altenſtaigii) *ſuperſunt adhuc diſertiſſimæ Orationes in Gymnaſio Tubingenſi habitæ, quas hic annectere minus æquum viſum: tum quia nedum juvenibus, quibus hæ vocularum expoſitiones compoſitæ ſunt, verum & adultis .. illæ plurimum conferant ... tum etiam quia earum naturam & elegantem gravitatem, nova & ſingulari exaratione atque majori charactere dignam cenſuimus.* Num autem poſthac illæ lucem typo obſtetricante viderint, plane ignoro.

V.

Joannes CHOLERUS, ſive KOLERUS *Auguſtanus*, J. V. Doctor, Græcas litteras ab *Otmaro* LUSCINIO doctus; Eccleſiæ cathedralis *Paſſavienſis* Præpoſitus anno 1508. & adhuc anno 1517. (*a*); item Præpoſitus *Curienſis* Eccleſiæ (*b*) tum litteratiſſimus ipſe fuit, tum Viris litteratiſſimis amicitia conjunctiſſimus extitit: quod ex dicendis patebit. Præ aliis copioſum cum *Eraſmo Roterodamo* litterarum commercium aluit, uti ex *Epiſtolis Eraſmi* (*c*) eruere licet, qui *Noſtrum* per *Antonium* FUGGERUM ſalvere jubens dicit: *Ornatiſſimo Viro Joanni Cholero ſalutem ex me plurimam, quo uno nec inter amicos habeo quenquam candidiorem, nec inter patronos magis invictum. Ex ejus litteris nil niſi meros amores ſpirantibus tantum capio, mihi crede, voluptatis ac ſolatii, ut vix alia quapiam ex re tantum-*

(*a*) HUNDIUS in *Metropoli Saliſburgenſi* p. 221.

(*b*) KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. II. colleg.* p. 291.

(*c*) V. *Epiſtolas Eraſmi. Edit. Lugduno - Batavæ. T. III. P. II.* Confer *Coronidem apologeticam* ſubnexam *Colloquiis ejusdem Eraſmi.*

dem. Et iterum ait: *Nuper & Cholerus mihi ſcripſit e lecto, male tortus chiragra.* Vocat dein *Eraſmus* eundem *amicum nivei pectoris*; alibique multis ad eum de *Eckio* & *Henr. Epphendorpio* ſcribit. Similem *Noſter* amicitiam *Viglio* ZUICHEMO impendit, qui *eruditionem in eo*, præſertim *valetudinario, & multijugas dotes ſemper ſuſpexiſſe ſe*, fatetur. Contra ZUICHEMUS pluribus illum, amicitiæ & reverentiæ teſtificationum plenis, Epiſtolis adivit, de lucubrationibus ſuis edendis conſilia cum illo contulit, & immedicabili chiragræ ac podagræ morbo valde conflictatum ſolari non omiſit (*d*). *Conrado* quoque PEUTINGERO (*e*) omnia eruditiſſimo, non tam affinitatis vinculo, quam animi ſtudio & propenſa voluntate cohæſit, quam oſtendit, dum ei veteres membranas ex *Curienſi* Bibliotheca communicavit. Viciſſim PEUTINGERUS *Noſtro*, qua *Præceptori & Affini honorando Collectanea* ſua *adverſus Anabaptiſtas* dedicavit. *Aegidius* REMUS *Auguſtanus*, Canonicus *Patavienſis*, poſtea Epiſcopus *Chiemenſis* amicis maxime *Noſtri* hortationibus, *ne Danaen quaſi alteram, incluſam diutius, ſtudioſorum uſui ſubtraheret*, ad publicandum, a ſe ad vetuſtum Codicem recognitum, *Agathiam de Bello Gothorum &c.* inductus fuit: quem uti *Noſtri* hortatu vulgavit, ita etiam *Noſtri* honori inſcripſit (*f*). Sed & *Otmarus* LUSCINIUS (*g*) plurimam *Noſtro* reverentiam habuit, dedicans ei ſua *Plectra in ſingulos Pſal-*

(*d*) V. PAPPENDRECHT *Analecta Belg. T. II. P. I.*

(*e*) V. *Vitam* PEUTINGERI a me editam anno 1783. pag. 100. 127.

(*f*) V. *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, *Alphabetum I.* p. 153.

(*g*) V. *Dedicationem* ejus ad *Plectra in ſingulos Pſalmos* &c. *Auguſtæ*. 1524. in 8o.

Pſalmos. 1524. 8o. *Auguſtæ*. In qua dedicatione eum *Virum virtute & exquiſita eruditione facile clariſſimum: patronum & amicum incomparabilem: virtutis & litterarum inſigne ornamentum* vocat: inſuperque ſequentibus collaudat: *Si cui unquam multa bonæ debuerunt litteræ, tu cumprimis.. in hoc albo habendus es, Cholere doctiſſime! qui gratuito illas colis, immo vero non ſine rei familiaris diſpendio: Deinde exornas quoque illas diſciplina juris, ad inſtaurandas res publicas & perpetuo ſtabiliendas utiliſſima, magnoque in pretio jam olim a Majoribus noſtris haberi ſolita &c. &c.*

Quanquam autem *Noſter* Muſis, Muſarumque cultoribus apprime amicum ſeſe præbuerit, tamen præcipua *Joannis* noſtri laus hæc eſt, quod *Bartholomæum* AMANTIUM, cum *Petro* APIANO *Inſcriptiones ſacroſanctæ vetuſtatis*, anno 1534. *Ingolſtadii*, in *folio* edentem, egregie adjuverit, multa *Galliæ* monumenta eidem Operi inferenda ſubmittendo. Quam *Noſtri* operam grata mente agnovit idem AMANTIUS in Dedicatione ad *Raymundum* FUGGERUM: ubi præter alias ſcientias maxime *Rei antiquariæ* cognitionem in *Noſtro* laudans ait: *Alias nunquam commoveri potuiſſemus, in medium tantum Opus ut proderemus, non ignari quantum onus humeris noſtris impoſitum eſſet, & quam multorum doctiſſimorum judicia hæc res efflagitaret... Qua de re & tu* (Fuggerus) *ſæpe, & non ſemel admonuit Vir optimus, ac meo quidem judicio in Antiquitatibus perſcrutandis, præter cæteras omnes bonas diſciplinas, quibus inſigniter eſt ornatus, ſagaciſſimus D. Joannes Cholerus, Patronus Auguſtanus, Præpoſitus Curienſis, & qui hoc Opus.. non paucis nec vulgaribus Galliæ monumentis auxit & exornavit, ſimul-*

que ea ſua manu inprimis exarata, *poſt etiam denuo reſcripta quam correctiſſime miſit.* Præter *Gallica* monumenta, etiam aliis Opus hoc *Antiquitatum* auxit *Noſter*, qui ob id ab *Amantio Vir doctiſſimus & numeris omnibus abſolutus* audit (*h*).

Hæc de CHOLERO. Vixit is adhuc anno 1536. quo ſupra citatus ZUICHEMUS ad diem 18. Octobr. reſponſorias ad *Noſtrum* dedit, honorans eum veteri titulo *Præpoſiti Curienſis.* Reliqua *Noſtri* me penitus fugiunt; id ſi excipias, quod GASSARUS (*i*) ad annum 1521. (dummodo ex vero) narrat: *Joannes* CHOLERUS *civis & utriusque Juris Doctor, Romanæ praxi cathedralis Eccleſiæ Curienſis apud ſuperiorem Rhætiam Præpoſitus eodem tempore factus, poſt decem & ſex annos eandem dignitatem Lucio Ithero Canonico ibidem, Cuſtodi, & tandem Epiſcopo receptis ſexingentis coronatis reſignavit, ac domi noſtræ, cum alii ſacrificuli civitati cederent* (1537.) *Magdalenam Schwarziam uxorem duxit.* Et hæc quidem GASSARUS (*k*). Reliqui autem Chronologi Auguſtani, STENGELIUS: KHAMMIUS: *Paulus a* STETTEN

(*h*) V. PEUTINGERI *Sermones convivales.* in 8°. *Auguſtæ.* 1781. poſt *Præfationem.*

(*i*) In *Annal. Augſburgenſ.* inter *Menckenii Scriptores T. I. p.* 1761. *a.* Idem renarrat ex GASSARO *Werlichius* in *Chronick von Augſpurg*: & *Jo. Mart. Chriſtell* in *Nachrichten von der Baarfüſſer und St. Jacobs Kirche*, qui poſterior ait: *Cholerum anno* 1523. *cum una ex Virginibus Gynecæi S. Stephani, Auguſtæ, publice copulari ſe curaviſſe.* At hoc, & ad hunc annum GASSARUS nullibi ſcripſit; imo contra: Abbatiſſam *S. Stephani* cum Virgunculis ſuis *Hochſtettam* migraſſe.

(*k*) Idem ad annum 1537. *Colerum*, unum ex Sacerdotibus *S. Mauritii, Auguſtæ* remanſiſſe tradit; ſed cum prænomen ejus addere neglexerit, nemo rem facile extricavit.

TEN *ſenior* , alioquin GASSARI *Annales* fide excerpens , ne verbo quidem harum nuptiarum meminerunt.

VI.

Matthias KRETZ. Antequam pauca , quæ de MATTHIA dicere habeo , proponam ; opportunum judico , nonnulla de Concionatoribus Eccleſiæ cathedralis *Auguſtanæ* , ſub *Chriſtophoro a* STADION Epiſcopo , præmonere. Advocarat ad id officii digniſſimus Præſul *Joannem* OECOLAMPADIUM , dein *Urbanum* RHEGIUM : quos ambos , utpote nova dogmata ſeminantes , cum dimittere coactus eſſet , illis *Joannem* VOEGELINUM , cui antea Scholam majoris Eccleſiæ ad *S. Mariam* commiſerat (Vide ſuperius , *pag.* 63.) ſuffecit. Huic , quod a Religionis diſſidiis , ea ætate magis magisque invaleſcentibus , multum abhorreret , relicta urbe *Auguſta* , *Viennam* ſecedenti a memorato Epiſcopo ſucceſſor anno 1522. datus eſt *Doctor Matthias* KRETZ.

Extitit *Noſter* inter eos Theologos Romanocatholicos , quibus *Confeſſionis Auguſtanæ* refutandæ negotium demandatum fuit ; ediditque vernaculo ſermone :

I. Tractatum *de Miſſa.*

II. Tractatum *de Confeſſione* (*a*).

L.4 III.

(*a*) V. Librum : *Miniſterium evangelicum Auguſtanum.* p. 1—4. ubi additur : *Noſtrum* ab *Anonymo* quodam , uti & *Michaele* KELLERO editis libris impetitum fuiſſe. Idem liber ſequentia de *Noſtro* monet : *Aiunt , eum Auguſta ſeceſſiſſe , & anno* 1549. *e vita migraſſe* ; Et hæc quidem admitti poſſent , minime vero , quæ *ibidem* de anno natali *Noſtri* , & quod jam anno vitæ *quinquageſimo* obierit ,

III. Tractatum tripartitum : *Wie ſich der Menſch zu ainem ſeligen End ſchicken ſoll ? Wie man den Sterbenden zuſprechen ſoll ? Außlegung des letſten Capitels :* Eccleſiaſtes, *lautend von dem End des Menſchen.* in 4to. 1529. (*b*).

IV. Concionem *de Purgatorio*, quam vidi in Bibliotheca *Collegii* quondam *Societatis Jeſu.* in 4to.

rit, adjiciuntur; cum iſta *Matthiæ* noſtro nullo modo conveniant: quem a *Matthæo* KROETZIO, de quo mox ſermo incidet, minime diverſum eſſe judico: eoquod tempora aptiſſime conveniant; & error in prænomine, *Matthæus*, facile ex ſola Scriptorum oſcitantia oriri potuerit.

(*b*) Extat in Biblioth. *PP. Dominicanorum*, *Auguſtæ*.

VII.

Marcus AVUNCULUS. Hic, *cum anno* 1531. *Doctor Matthæus* KROEZ *Eccleſiæ cathedralis* Auguſtanæ *Concionator*, *ob ingraveſcentem ætatem munere iſto ſeſe abdicandi propoſitum cepiſſet*, Friburgo Auguſtam *venit: cui deceſſor facta*, *quorundam Canonicorum interventu*, *die* 10. & 12. *Maji de proventibus Tranſactione cathedram ceſſit. Triduo poſt*, *ſcilicet die* 15. *Maji*, *Capitulum cathedrale ſumptus itineris*, *quos fecerat*, Noſtro *refundendos: ejus autem* Præſentationem *die* 4. & 5. *Octobris*, *at hanc primum poſt exactum annum* 1531. *faciendam*, *decrevit. Intra hoc temporis ſpatium* (*die* 18. *Octobris nimirum*) Marcus *noſter* Doctoratus laurea *inſignitus*, *demumque ineunte anno* 1532. *a Chriſtophoro a* STADION *Epiſcopo Eccleſiæ cathedralis Concionator pomeridianus* (*) *inſtitutus eſt. Eminuit autem in eo munere ita*,

(*) Sub *Chriſtophoro a* STADION in Eccleſia cathedrali Concionatoris *ante - meridiani* partes ſuſtinuit *D. Joannes* FABRI *Ord. Prædicatorum*, cujus Vitam dedi in hujus *Bibliothecæ* meæ *Alphabeto I.*

ita , ut non ſolum plebeios, ſed & viros doctrina præſtantes , & hos inter Leonardum Hallerum (*a*) *Concionatorem anno* 1534. *ad SS. Udalricum & Afram ac Parochum , poſtea Suffraganeum Eichſtettenſem ad ſe audiendum alliceret. Verum haud diu frui iſto munere tranquille licuit* Noſtro ; *nam , anno* 15.7. *Clero catholico univerſo Auguſta expulſo , & ipſe migrare , aliasque ſedes inquirere coactus eſt. Attamen in illo exilio id ſolatii relictum fuit* Noſtro , *quod parochiam* Gamundianam *interim adminiſtrandam obtinuit , hoc addito beneficio , ut fructus tum Parochi , tum Concionatoris cathedralis ſimul perciperet. In eo officio poſitus , cum anno* 1543. *maximi nominis Epiſcopus ſupra dictus Chriſtophorus a* STADION *Norimbergæ vita deceſſiſſet , eique Dillingæ ſuprema juſta perſolverentur , debitas laudes mortuo latina oratione dixit. Inde vix ad ſuos reverſus , mox anno ſequenti* (1544.) *ab immortalis memoriæ Othone* TRUCHSESSIO *Cardinale & Epiſcopo Auguſtano Dillingam , ubi tum Antiſtes cum RRmo Capitulo morabatur , revocatur , ibi de ſacro ſuggeſtu peroraturus. Paruit Epiſcopi vocationi* Marcus , *ita tamen ut parochiam Gamundianam retineret , ſuasque illic vices quendam* Jacobum Spindlerum *obire juberet. Hoc modo dum* Marcus *Dillingæ populum divini verbi pabulo nutrit & in Fide catholica confirmat , Capitulo ſuo* Otho *anno* 1546. *die* 13. *Januarii , quod ſecum ceperat , conſilium ex improviſo pandit : velle ſe in Suffraganeum ſuum conſtituere* AVUNCULUM ; *habitoque Capituli aſſenſu re ipſa conſtituit, priori Suffraganeo decrepito* 200. *florenos relinquens.* Marcus *noſter , etſi epiſcopali dignitate ornatus , prædicandi*

 munus

(*a*) Hujus notitiam dedi in *Biblioth. Auguſt. Alphab. I.* p. 79.

munus non dimiſit, ſed in annum 1548. *usque ſtrenue exercuit, quo ipſo, die* 9. *Martii ex mulcta pecuniaria florenorum* 93000, *quam Civitas Auguſtana Epiſcopo & Capitulo ad damnorum illatorum compenſationem ſolvere debuit, florenos* 50. *in aliquam diſpendiorum reparationem aſſignatos accepit. Denique multis laboribus enervatus*, *anno* 1551. *parochiam* Gamundianam, *cui hactenus præfuerat* : *anno* 1553. *cathedram* Auguſtanam, *quam*, *Clero illuc reduce*, *poſtliminio recuperaverat* : *anno* 1554. *die* 13. *Junii Suffraganeatum dimiſit*, *vitæ reliquum ſecrete ac pie in Domino exacturus* (*b*).

KHAMMIUS (*c*), *Noſtrum* inſuper *Vicarium generalem* Auguſtanum fuiſſe affirmat. Ab illo extant in Bibliotheca *Eichſtettenſi* manuſcripti

I. *Sermones XIX.*

quos anno 1534. ab ore dicentis excepit, & in latinam epitomen redegit ſupra memoratus *Leonardus* HALLERUS. Præterea *Noſter Chriſtophoro a* STADION (quod modo dixi)

II.

(*b*) Quæ hactenus attuli, debeo ſollertiæ *P. R. P. Amandi* SCHURR *Ord. PP.* qui ex *Actis Prædicaturæ Auguſtenſis* a ſe Excerpta mecum humaniſſime communicavit: ſimulque ex *Actis* iisdem ſeriem *Proepiſcoporum Auguſtanorum* ab anno 1484. ad annum 1554. apud STENGELIUM & KHAMMIUM plurimum perturbatam ſic reſtituit:

		Suffraganeatum obtinuit.	Reliquit.
Joannes I. *Proepiſcopus* —	IX. —	1484.	1490. *circ.*
Joannes II. de Wertheim —	X. —	1490. *circ.*	1506.
Henricus II. Negele —	XI. —	1506.	1520.
Joannes III. Laymann —	XII. —	1520.	1546.
Marc. Avunc. *Epiſc. Nazianz.*	XIII. —	1546.	1554.
Michael Dornvogel —	XIV. —	1554.	1586.

(*c*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. colleg.* p. 503.

II. *Sermone latino*
Dillingæ habito parentavit, uti teſtatur *Guilielm.* KHELLNERUS *a Zinnendorf (d)*: quin addat, an ille *Sermo* typis procuſus fuerit, necne?

(*d*) In *Vita Wolf. Andr.* REM *a Küz Præpoſiti Eccleſ. cathedr. Auguſt.* Atque ut de ipſo KHELLNERO nunc pauca dicam; fuit is Juris utriusque Doctor, *Archiducalis*, & *Bavaricus* Conſiliarius, per ſex, & quod excurrit, luſtra RRmi Capituli *Auguſtani* Syndicus laudatiſſimus. Is anno 1581. in gravem litem cum Senatu *Auguſtano* incidit, a quo urbe excedere juſſus, ſed anno 1582. honorifice reſtitutus eſt opera Delegatorum *Wilhelmi* Bavarici, & *Ludovici* Wirtembergici Ducum, quibus Cæſar hujus controverſiæ componendæ provinciam demandarat; de qua re vide *Paul. a* STETTEN *Chronick von Augſpurg, P. I. p.* 639. 644. Ejus epitaphium ſequens in ambitu ſummi templi, teſte PRASCHIO, extat:

Guilielmus Khellner
a Zinnedorf
V. I. D.
Almæ hujus Eccleſiæ
Annis XXXII. Syndicus
Una cum uxore
Anna Maria Breuchia
Sub hoc Saxo
Diem Domini præſtolatur.

Viximus in Chriſto tranquillo pectore, cum nos
Maxime Chriſte! tibi Parca tremenda dedit.
Nec tibi, qui legis hæc, parcet fera Parca. Quid ergo?
Ut tibi contingat vivere, diſce mori.

Extitit alius *Guilielmus* KHELLNERUS *a Zinnendorf*, haud dubie filius antecedentis, a quo in Bibliotheca Capituli cathedralis vidi *Libellum variorum Juris utriusque dogmatum diſputatum, Aureliæ.* 1610. in 4to. pro conſequendis, ut credere omnino fas eſt, *Doctoratus* inſignibus. Hunc ego unum eundemque eſſe arbitror cum illo *Guilielmo* KHELLNERO, qui in *Annalibus Academiæ Ingolſtadienſis T. II.* ad annum 1591. inter *Inſcriptos* nominatur.

VIII.

VIII.

Wolfgangus Andreas REHMUS *a Köz* Patritius *Auguſtanus* , patre *Wolfgango* , J. V. D. Viro prudentia ac eruditione excellente *(a)* : matre *Urſula Röttengatterin* Ulmenſi , *Wormatiæ* prognatus eſt anno 1511. die 28. Februarii. Auguſtæ perceptis *latinæ* linguæ rudimentis , anno 1523. in inſignem *Ingolſtadienſem* Academiam miſſus eſt , & *Georg.* STENGLII *Auguſtani* , Viri docti , inſignia Theologiæ in mox memorata Univerſitate conſecuti , poſtea Canonici & Concionatoris *Friſingæ* , demum *Wilhelmi* Ducis *Bavariæ* vocatu Parochi & Eccleſiaſtis *Monachienſis* , curæ ac privatæ diſciplinæ traditus fuit, Ibi anno exacto , impulſu & precibus *Otmari* LUSCINII doctiſſimi Viri , a parente domum revocatus , ſub eo præceptore tam *latinæ* quam *græcæ* linguæ fontes uberius haurire cœpit : quos ſibi ab *Otmaro* , *Livium* , *Oratoriam* ac *Dialecticam* accurate prælegente , ſumma diligentia monſtratos fuiſſe , ipſe ſuis ſcriptis connotatum reliquit. Temporis autem vacuum , quod nanciſcebatur , ſpatium *Muſicæ* addiſcendæ, honeſtæ recreationis cauſſa , impendit , ſequente anno (1525.) ex inſtitutione *Viti* BILDII *(b)* perdocti Monachi

San-

(a) Iſte *Wolfgangus* fuit Cameræ imperialis *Spirenſis* Aſſeſſor , poſt etiam Advocatus : *Suevici* Foederis triumviralis Judex ; Regis Romanorum *Ferdinandi* Conſiliarius : doctis *Reſponſis Juris* , quæ moriens reliquit , inclytus. Eidem *Otmarus* LUSCINIUS ſuas *Allegorias Pſalmorum* anno 1524. dedicavit, vocans *inſigni eruditione ac pari virtute præſtantiſſimum* , *eximiis multijugæ eruditionis ac plurimæ virtutis ornamentis inter alios pollentem Virum: Litterarum & integritatis columen* : profuſamque *Noſtri* erga ſe benevolentiam multis deprædicans.

(b) BILDII Vitam dedi in *Bibliothecæ Auguſtanæ Alphabeto I.* ubi vide *pag.* 32.

San - Udalricani, ſtudium etiam *mathematicum* adjungens. Dehinc *Patavium* adjuncto Magiſtro *Matthæo* HERRERO miſſus, inter alios Profeſſores, maxime BISICHEMIUM audivit. Sed ob gliſcentium *Mediolani* bellorum tempora *Auguſtam* revocatus, ad *S. Mauritium Præpoſitus* anno 1526. renunciatur. Jactis poſthæc in Academia *Tubingenſi*, quo eum mox memorato anno 1526. veniſſe apud CRUSIUM lego, ſub clariſſimo Jurisconſulto *Georgio* SYMLERO ulterioribus Jurisprudentiæ fundamentis, ingenii profundiore Legum ſcientia excolendi, ſimulque exterarum nationum viſendarum & peregrini idiomatis addiſcendi gratia, *Dolam* in *Burgundia* profectus, & magni J. V. D. & Profeſſoris Canonum *Petri* FOENICIS contubernio uſus, *Juris utriusque Licentiatus* die 23. Januarii 1529. creatur. *Dola* movens *Bituricum*, digno *Promotore*, *Andrea* ALCIATO, dignus *Candidatus*, doctoreis in Jure inſigniis anno 1530. die 23. Junii decoratur.

Sic auditis compluribus maximi nominis Jurisconſultis, & quatuor Linguarum, *Gallicæ*, *Italicæ*, *Græcæ* & *Latinæ* peritia ornatiſſimus, inprimis autem *Jurisprudentia* egregie inſtructus patrios lares anno 1530. die 13. Julii reviſit. Inde *Ratisbonam* abiens, cum RRmo *Guerico* Abbate *Weingartenſi*, & Prælatorum ſedem indeptus, & ob inſignem agendi dexteritatem ac ſingularem induſtriam a *Ferdinando* poſtea Imperatore *Conſiliariorum* collegio adſcriptus eſt. Anno 1531. die 22. Aprilis ſummæ Eccleſiæ *Auguſtanæ Canonicatu* honoratur, eodemque anno in *Advocatum* ſupremi Imperii tribunalis *Spirenſis* recipitur, &, nomine Prælatorum *Circuli Suevici*, cum memorato *Guerico* Abbate ad Comitia *Ratisbonenſia* anno 1532. ablegatur. Anno

1545.

1545. etiam a *Carolo V.* Imperatore in Conſiliarium, inter Comitia *Wormatienſia*, adſciſcitur. E *Concilio Tridentino* autem, quo eum juſſu *Othonis* TRUCHSESSII iviſſe ſupra monui, reverſus, anno 1547. 29. April. *Cellarius*, & anno 1549. 3. Junii RRmi Capituli *ditionum ruralium Tetrarcha* nominatus eſt. Sacros Ordines autem anno 1557. 14. Martii ſuſcepit. Deſignatur deinde anno 1565. 30. Januar. *Caſtellanus* in *Zuſameck*: anno 1573. 15. Octobr. Eccleſiæ cathedralis *Decanus*: denique anno 1580. 21. April. *Præpoſitus* ſummus. Ante diem fatalem e ſua Bibliotheca, quam inſignem paraverat, codices juridicos Archivo RRmi Capituli: ceteros, mille & quadringentos, libros una cum plurimis inſtrumentis mathematicis monaſterio *S. Crucis Auguſtano* ea lege legavit, *ut ibi ſingulis annis pro ſalute animæ ſuæ anniverſarius dies celebraretur.* Tumulatus eſt autem cum ſequenti Epitaphio:

Hic. in. terram. reverſa. eſt. caro
Wolfgangi. Andreæ. Rem. a. Köz
Almæ. hujus. Eccleſiæ. Auguſtanæ
Olim. Præpoſiti
Anima. vero
Ut. ſpe. firma. eſt
Magno. illo. die. in. carne
Una. cum. his. qui. Chriſti. ſunt
Rapietur. in. nubibus. Domino
In. Aera
Et. ſic. ſemper. cum Domino. erit
Obiit
Anno. Salvatoris. Chriſti. M D LXXXVIII
Menſe. Auguſto. Die. ultimo
Cum. vixiſſet
Annos. LXXVII. Menſes. VI.

Sepulchra-

Sepulchrale ſaxum hac inſcriptione fuit ſignatum :

Sub. hoc. ſaxo. recubant. Oſſa
Wolfgangi. Andreæ. Rem. a. Köz
Olim. hujus. Eccleſiæ. Auguſtanæ
Præpoſiti.

Hæc de Vita Noſtri. De litterariis autem laudibus ſequentia. Ab *Eraſmo Roterodamo* (V. Ejus *Epiſtolas*) *Noſter* una cum patre ſuo *Amicus candidiſſimus* audit : qui idem ſeſe *Noſtri litteris non minus elegantibus quam humanis* multum delectari haud leviter innuit. *Viglio* ZUICHEMO quoque amicitia conjunctum fuiſſe Noſtrum tradit PAPENDRECHTUS in *Analect. Belg.*

Plura de REMO hoc reſcire qui cupit, conſulat KHAMMIUM in *Hierarch. Auguſt. P. II. p.* 297. præcipue vero *Guilielmum* KHELLNERUM *a Zinnendorf*, qui integro Libello , *Ingolſtadii*, ſecunda vice anno 1590. excuſo , laudes *Noſtri* ac merita deſcripſit his inter alia quamplurima verbis : *Si ad Comitia Imperii publica eundum: ſi quæ aliæ Commiſſiones imperatoriæ graviſſimæ expediendæ, quis, cum ſelectis aliis Conſiliariis præcipuis, ipſi Epiſcopo ad extremum usque ſpiritum vitæ Comes* ? REMIUS *noſter. Quis coram Ferdinando Imperatore Orator?* REMIUS *noſter. Quis ad SSmos Bavariæ Duces* : *ad alios Principes vicinos* ? REMIUS. *Quis ad S. Synodum Dillinganam ab .. Othone indictam. .. Capitularis Legatus* ? *Quis transactionibus & aliis tractatibus expediendis frequentiſſime deſtinatus* ? *Quis conſultationibus arcaniſſimis celebrandis adjunctus* ? REMIUS. *Quis in Epiſtolis ad ſummos Pontifices & ad Romanæ Eccleſiæ Cardinales , exquiſita Ciceronianæ dictionis imitatione exarandis artifex* ? REMIUS .... Et iterum:

rum: *Cum doctis Viris varia certabat eruditione: proponebat quaeſtiones, & tam ſcite philoſophabatur, ſive moralia ſive naturalia occurriſſent, ut in ullo non litterarum genere verſatum eſſe faterere. Hinc egregius ille in Litteratos favor emerſit: hinc praeſtantia in viros doctos collata praemia, quos tanti fecit, ut eos etiam, quibus vel umbra vel opinio doctrinae fuerat, manu adjuvaret.*

Quanquam autem tum veteres tum recentiores Scriptores, qui de *Noſtro* meminerunt, omnes eum ab eruditione commendent plurimum, tamen ego licet plurima indagatione uſus, non niſi unicum

Sermonem latinum,

quo *Noſter* pios *Chriſtophori a* STADION Epiſcopi *Auguſtani* manes egregie celebravit, quique *germanice* poſtea ab alio quopiam redditus fuit, apud *Guil.* KHELLNERUM repperire potui: qui tamen addere omiſit, editusne typis *ſermo* ille fuerit, necne? Quare hic brevibus de *Noſtro*, ſic oblata occaſione, egiſſe ſatis habeo.

IX.

Conradus BRUNUS, cujus mentio ſuperius in *Othone* TRUCHSESSIO facta eſt. Tam bene ille de *Eccleſia* & *Imperio*: tam bene de Republica *ſacra, profana*, ac *litteraria* meritus eſt, ut juſtis ejus laudibus haud parum a me detractum iri cenſeam, ſin minus Vitam ejus fuſiore calamo deſcriberem: ſequererque hoc modo exemplum viri anonymi litterati, qui *Admonitioni catholicae &c.* a *Conrado* ſcriptae, a ſe vero poſt ejus mortem anno 1565. *Dillingae.* typis vulgatae, Commentationem *de Vita & Scriptis Noſtri* praemittere voluit: cujus opera

uti

uti in hac narratione placet, quod ejus teſtimonium, utpote ſynchroni, maximæ apud nos auctoritatis eſſe oppido debeat.

Conradus BRUNUS in ducatus Wirtembergici pago *Kirchen*, ad fluvium *Neccarum* ſito, anno ferme M. CCCC. XCI. primam vitalem auram haurire cœpit: adoleſcens autem *Tubingæ*, minime ignobili ejusdem ducatus urbe, vixit. Ibi *liberalibus artibus*, linguis *latinæ* ac *græcæ* (*a*) tum etiam *Philoſophiæ* ſtudio admodum deditus, magnam ingenii, doctrinæ, & ſingularis in diſputando ſollertiæ laudem præ cæteris conſecutus eſt. Audivit illic ſacras quoque *Theologorum* lectiones, & omne fere Auctorum genus eſt pervagatus. Maxime autem ad utriusque Juris cognitionem vires, operam, cogitationesque ſuas convertit, & ſub eruditis præceptoribus, quos partim domi conſulebat, partim in ſcholis differentes audiebat, maximos in ea Facultate progreſſus fecit; adeo ut non ſolum, ex judicio Litteratorum, doctorali *Juris* tum *canonici* tum *civilis* laurea dignus habitus; ſed etiam in vita ſubſequenti ad præclariſſimam Juriſconſulti omnibus numeris abſoluti famam felici niſu graſſatus fuerit. Judicio plurimum valuit, admirabili memoria præditus, peritus admodum in *Hiſtoria* prophana & eccleſiaſtica. *Theologiæ* inſuper ſtudium amavit, coluit, ſeduloque tractavit.

Neque vero *Tubingæ* optimis ſcientiis duntaxat ſtuduit *Noſter*, ſed etiam, ob eruditionis indefeſſo labore partæ copiam, ad docendi munus promotus

(*a*) Ita teſtatur *Carolus* STENGELIUS in *Mantiſſa*, p. 46.

motus iſtud Gymnaſium, quod per ea tempora clariſſimis magiſtris florebat, doctrinæ ſuæ luminibus per annos XV. egregie illuſtravit (*b*): illiusque Scholæ Rectoratum (conſueto vocabulo utor) anno M D XXIII. cum laude geſſit (*c*).

Hoc modo cum ad inſignem nominis celebritatem perveniſſet, variis tum eccleſiaſticis (nam huic ſe ſtatui mancipaverat) tum ſæcularibus dignitatibus, ad quas ab pluribus Imperii Principibus evocatus eſt, fulgere cœpit. Atque ut de *dignitatibus eccleſiaſticis* primo loco dicam; eum in cathedralibus Eccleſiis, *Ratisbonenſi*, *Friſingenſi*, & in hac ab anno 1546. usque ad annum 1555. *Auguſtana* denique ab anno 1557. usque ad obitum *Canonici* honore enituiſſe invenio (*d*). Quod ad *dignitates ſæculares* attinet, *Noſter*, cum ſemel animo ad Rem publicam bene adminiſtrandam adjecto, politicis ſeſe totum laboribus addixiſſet, inque aulas Principum, qui conſiliis ejus uti, atque ad eum maximi momenti res referre optabant, evocatus ſeſe contuliſſet; primo quidem apud Principem & Epiſcopum *Herbipolenſem* toto ſeptennii ſpatio manſit: *Bavariæ* vero Principibus, partim *Straubingæ*, partim *Landishuti*, novem annis (*e*) operam dedit: Adhæc *Spiræ* inter Aſſeſſores *Cameræ Judicii imperialis* adlectus eſt, in quo honoris faſtigio exactis quinque annis ob ſingularem tum in agendo tum in judicando excellentiam usque adeo in *Præfectum* ſeu *Regentem* ejusdem *Judicii* provectus, id muneris

(*b*) STENGELIUS *l. c.*

(*c*) CRUSIUS in *Annal. Suevic. Dod. III. p.* 578.

(*d*) STENGELIUS *l. c.*

(*e*) Idem *l. c.* affirmat, *Conradum* Duci Bavariæ per annos adeo XII. a Conſiliis fuiſſe.

neris per biennium adminiſtravit. Tenuit etiam aliquanto tempore vices Electoris *Moguntini*. Poſtremo *Dillingam* ab *Othone* TRUCHSESSIO accerſitus, inque *Conſiliarium* aſſumptus, ejus excellentiſſimi Præſulis *Cancellarium* ſeptennii ſpatio egit, ſubin ab eodem ampliſſimo ac eminentiſſimo Antiſtite *Officialis* renunciatus; qui idem *Noſtrum* tam in amoribus habuit, ut ad extremum usque vitæ ſpatium ſibi illum a Conſiliis eſſe voluerit, magnaque ſemper liberalitate ſenem & velut emeritum militem proſecutus ſit. In his vero muniis non aliter ſeſe ubique geſſit, quam eximium, ſingularem & incorruptum Jureconſultum decebat, qui neque muneribus, neque promiſſis & blandimentis: neque odio, gratia amoreve partium motus ab æquo & juſto diſcederet. Unde in privatis publicisque negotiis famam integram, fidem conſtantem, ſalvam nominis ſui exiſtimationem ſedulo conſervavit.

Ibat annus ſupra ſesquimilleſimum quadrageſimus octavus, cum *Carolus V.* Imperator bello *Smalcaldico* confecto, plenaque adverſus Principes proteſtantes victoria potitus frequentem Imperii Conventum Auguſtæ coegit. In eo cum Cæſar ad *Judicium Cameræ imperialis* inſtaurandum animum adpuliſſet, diuque ac multum ab Imperii Statibus de his, quæ ad formam iſtius Judicii ſpectant, deliberatum fuiſſet, viſum eſt tandem *Carolo*, illud negotium, fruſtra antea ſæpe tentatum, BRUNO noſtro demandare, qui una cum *D. Conrado* VISCH Conſtitutiones memorati *Judicii* in unum corpus redigeret, certamque præſcriberet formam Cameræ Judicibus, Advocatis & Procuratoribus, Partibus denique litigantibus in poſterum obſervandam. Igitur BRUNUS *Auguſtam* vocatus, nam ab Comi-

tiis illis tunc aberat, concreditum ſibi negotium ita perfecit, ut apud Cæſarem & Imperii Ordines magnam hoc nomine gratiam iniverit, comprobantibus omnibus, quod adeo luculenter novum & inſtauratum illius *Judicii* modum conſcripſiſſet. Nec defuit ſuus BRUNI laboribus honos, utpote cui Cæſar una cum Imperii Statibus dignum tali Auctore præmium, magna liberalitate uſus, decrevit. Verum non hoc duntaxat, gravi profecto ac arduo, ſed alio quoque non minus laudabili & glorioſo labore memoratum ſummum Imperii Tribunal ſibi BRUNUS devinxit; dum omnes, quæ illud auguſtum Dicaſterium a prima ejus inſtitutione ad ſua usque tempora doctrinæ & juſtitiæ ſtudio ornarant, perſonas in unum ſollicite connotavit.

Longum deinde foret explicare, quot quibusve modis BRUNI virtus, gravitas ac ſapientia cum alibi ſæpe, tum vero in Conventibus publicis *Auguſtæ*, *Spiræ*, *Wormatiæ* & *Ratisbonæ* habitis emicuerit: quomodo in catholica Religione, cujus a prima ætate ſtudioſiſſimus ac conſtantiſſimus cultor fuit, per ea tempora conſervanda ac vindicanda allaborarit. Unde nonnunquam apud æmulos, & timidos homines invidiam ſibi odiumque concitavit, veluti qui ne ſummos quidem Viros tanti faceret, ut in illorum gratiam conſuetam παῤῥησίαν dicendique libertatem deponeret, aut male conniventibus faveret, præſertim cum experiretur, illorum diſſimulatione ac conniventia cauſſam Religionis magis magisque labefactari. Quin potius, ut optimum & integerrimum Eccleſiæ civem decebat, qui Deum magis quam homines vereretur, palam & audacter ſe maximis etiam Viris oppoſuit, & afflictæ catholicæ Eccleſiæ cauſſam,

ut

ut ſalva veteris Religionis jura manerent, coram omnibus Imperii Ordinibus publice tuendam aliquando ſuſcepit. Hinc mirum nobis eſſe haud debet, *graviſſimis* eum *& atrociſſimis injuriis ac perſecutionibus* exagitatum ab adverſariis fuiſſe; quod *Cardinali* FARNESIO in *Dedicatione* ad Opus *de Imaginibus* dolenter conqueritur, addens: *idipſum multis famoſis libris, partim ſuppreſſis auctorum nominibus, partim ementitis falſorum nominum titulis, adverſus ſe editis demonſtrari.* Quomodo autem, una cum pluribus ſuorum *Collegarum*, ſolo juſtitiæ in ſupremo *Cameræ Imperialis Spirenſis* tribunali probe adminiſtrandæ ſtudio inimicorum in ſe odia concitaverit: qua item de cauſſa cum *Socrate* ſibi *Apologia* abſtinendum, & adverſarios ſuæ ipſorum turpitudini relinquendos cenſuerit, ipſe prolixe expoſuit in memorata *Dedicatione.*

Neque vanas, aut verbis nimium exaggeratas *Noſtri* de adverſariorum auſibus querimonias fuiſſe ex SECKENDORFII *Hiſtoria Lutheraniſmi*, *L. III. p.* 296. & 335. diſcimus, ubi legere eſt: adverſarios *Brunum*, uti infeſtiſſimum ſibi eum judicarunt, ita etiam maxime inviſum habuiſſe: quare eum in Comitiis *Ratisbonenſibus* anni 1541. una cum *Matthia* HELDO a negotiis arceri & flagitarunt & impetrarunt. Idem SECKENDORFIUS *Libr. cit. p.* 172. ait: *Intimus ei* (HELDO) *amicus erat D. Conradus* BRUNUS. *Vir doctus & induſtrius, ſed ob peſſimos mores infamis, idemque Dialogi odioſiſſimi contra Proteſtantes editi auctor. Hic cum* HELDO *fervidioribus ex Clero operam ſuam addixiſſe ferebatur, & præmia accepiſſe:* HELDUS *quidem Præpoſituram Neuhuſianam in epiſcopatu Wormatienſi*, BRUNUS *vero canonicatum in Eccleſia cathedrali.* Scilicet iſta SEC-

 KENDOR-

KENDORFIUS ab iis accepit, a quibus famam ſuam peſſime dilaceratam fuiſſe, ſupra queritur BRUNUS: quos proin, ubi de Viro tanto agebatur, temere ſequi haud debuiſſet illuſtris Auctor. Sed hæc retuliſſe, confutaſſe eſt. Quis enim, niſi omni ſenſu carens, ſibi perſuadeat, ſummos Eccleſiæ Principes, Cæſaresque ſummos *Virum peſſimis moribus infamem* favore ſingulari complecti, eumque ad conſilia intima maximaque negotia adhibere voluiſſe? Aut quis, niſi rationis expers, credat, *Viro peſſimis moribus infami* tantum audaciæ impudentiæve fuiſſe, ut maximos Eccleſiæ Antiſtites, Imperatoresque, quibus bene cognitus fuerat, *Libros* ſuos ſacratis eorum nominibus dedicando temere adiret, eorumque patrocinium eruditis partubus ſuis contra hoſtium ſuorum nequitias exoraret? Quod ſi laborum præmia tulit, jure ea tulit: debuiſſentque in hoc adverſarii, & eorum, qui præmia dederunt, juſtitiam: & ejus, qui præmia accepit, merita revereri, non inde convicii aut probri ducere cauſam. Sed mittamus iſta.

Poſtquam *Noſter* multis ſic annis in Republica non minus floruiſſet, quam laboraſſet, ætatem decrepitam attigit. Quare & *Cancellarii* munus, quod apud *Othonem* Cardinalem & Epiſcopum *Auguſtanum* pro dignitate geſſerat, abdicavit. Uno atque altero anno, priusquam diem clauſit extremum, communem cum ſancto ſene *Tobia* eſt ſortem expertus; nam oculis nubecula quadam obductis videndi facultatem amiſit, ut nihil aut ſcribere poſſet aut legere: quod Viro alioquin induſtrioſiſſimo ac laborioſiſſimo quantum moleſtiæ ac mæroris attulerit, quivis facile ſecum æſtimabit. Interim vel oculorum uſu privatus ſtudia non dimiſit, aut ſibi

ſibi temperare potuit, quin per amanuenſem adverſus *Centuriatores Magdeburgenſes* calamum ſtringeret. Sed, qui cæco *Tobiæ*, idem & BRUNO noſtro optatam oculorum lucem reſtituit, adeo ut poſtremo vitæ anno, fatali pellicula per chirurgum ſublata, ſimul viſum receperit, ſimulque ad ſcribendum legendumque poſtliminio redierit.

Interim Vir ſenio laboribusque fractus, utut languescens, a *Ferdinando* Cæſare *Oenipontum* accerſitur, ubi de rebus magni momenti ad utramque Rempublicam pertinentibus conſilia ſua rogatus impertivit, multaque cum viva voce, tum ſcriptis confecit, & aliquamdiu valetudinem ſatis afflictam eſt expertus. Igitur *Auguſtam* reverſurus, cum ex itinere *Monachium* deflexiſſet, ibi in brevem morbum, ex morbo in lethum incidit, anno partæ per Chriſtum ſalutis MDLXIII. menſe Junio; cum annum ætatis ſeptuageſimum ſecundum, uti ſama ferebat, excelſiſſet.

Corpus *Auguſtam* revectum, & cum religioſa pompa in Eccleſia cathedrali terræ mandatum eſt, addito ſequenti Epitaphio (*f*):

Eſt hominis, naſci, primum: vixiſſe, ſecundum.
Ultima poſt vitæ tempora mors ſequitur.
Eſt fortunati, bene naſci: vivere honeſte,
Juſti hominis: felix eſt, bene qui moritur.
Ergo ego, qui natus longo quoque tempore vixi,
Durum etiam mortis ſuſtinui imperium.
Non fortunatus nimium, ſtudioſus honeſti,
Defunctus tandem regna ſuperna colo.

 Conra-

(*f*) Affert hoc STENGELIUS *l. c.* qui *Noſtro*, haud dubie falſo, duntaxat 68. vitæ annos tribuit: & diem *Noſtri* emortualem 20. *Junii* aſſignat.

Conradus *patrio dictus cognomine* BRUNUS,
Cujus in hac tumba molliter oſſa cubant.

Hunc vitæ curſum habuit *Conradus* noſter, *Theologus*, *Jureconſultus*, *Philoſophus & Hiſtoricus*, *Græcæ ac Latinæ linguæ peritiſſimus*, *ſuo tempore nulli ſecundus*: *Vir arcana & myſtica divinarum Scripturarum interpretatione altus atque ſublimis*, *Fideique propagator acerrimus*: *Vir raræ & eximiæ eruditionis*, *cum ſumma integritate conjunctæ*: *Vir acutiſſimi ingenii & longe doctiſſimus*: amiciſſimus Litteratis, & hos inter præcipue *Viglio* ZUICHEMO *ab Aytta*, *Joanni* COCHLAEO, quem amicorum *Noſtri* principem bene dixeris, ERASMO *Roterodamo* (*): ampliſſimis encomiis mactatus abs *Guilielmo* EISENGREINIO (*g*) *Carolo* STENGELIO (*h*) MIRAEO (*i*) *Matthia* HELDO (*k*) *Joanne* GROPPERO (*l*) aliisque: maxima gratia honoreque habitus a *Carolo V.* & *Ferdinando* Imperatoribus auguſtiſſimis, aliisque plurimis, ut vidimus, tum ſacræ tum profanæ Reipublicæ Antiſtitibus ſummis.

Jam cetera perſequi libet, videlicet quam fuerit late patens *Noſtri* doctrina: quæ in Rem litterari-

(*) Hic, ſeſe a *Noſtro* Carmine ſalutatum fuiſſe, teſtatur in Epiſtola ad *Franciſcum Theſaurarium Beſontinum.* 1529. 10. Decembr. data, ubi inquit: *Brunus ſalutarat me Carmine: ei reſpondi carmine trohaico, ſed diſſimulans, eſſe carmen. Diſſimulabis & tu, ut animi gratia tentemus, an ipſe non monitus ſentiat eſſe carmen?* Hoc unum peritiæ, quam ſibi *Noſter* in *humanioribus* ſcientiis pepererat, ſpecimen hactenus invenire potui.

(*g*) In *Catalogo Teſtium Veritatis.*

(*h*) In ſæpius citata *Mantiſſa.*

(*i*) In *Bibliothecæ eccleſiaſticæ P. II.*

(*k*) Vide *Noſtri* Opus *de Legationibus.*

(*l*) Vide *ibidem.*

rariam merita : qui Libri ejusdem ſint ? Certe BRUNUS talem ſe præſtitit *Juriſperitum*, ut vix ullum ætate ſua ſecundum habere judicaretur. Hinc in Comitiis Procerum & Magiſtratuum utriusque ſtatus permagna *Noſtri* ratio habita ſemper fuit, multaque ſæpe ex ejus conſiliis ſententiaque conficiebantur. Hinc inter Jurisconſultos *Germaniæ* conſultiſſimus ipſe & dici & haberi meruit. Hinc Opera ejus inter alias præſtantiſſimas maximorum totius *Europæ* Juriſperitorum lucubrationes, ut infra monebo, locum jure ſuo obtinuerunt. Neque ſolum Jurisconſultum, ſed etiam ob multijugam minimeque vulgarem doctrinam *Philoſophum*, *Hiſtoricum*, *Theologum*que appellare eum nobis licet, quippe cujus Opera legens dubites, Juriſperitumne magis legas, an Theologum: fueritne is Hiſtoriarum, an vero Legum ac Canonum intelligentior ? Quemadmodum autem ipſemet litteras feliciſſime tractavit; ita, ut idipſum ab aliis quoque commode fieri poſſet, ſtudioſe proſpexit; dum non modicam pecuniæ ſummam ad Studioſos alendos contulit, & Teſtamento in hoc edito declaravit, ut *Friburgi* perpetuo eſſent trium Facultatum, *theologicæ*, *juridicæ*, & *medicæ*, Studioſi tres, qui quotannis ex ea pecunia honeſte ſuſtentarentur. Eodem Teſtamento libros ſuos theologicos Canonicorum *Auguſtanæ* Eccleſiæ venerabili Collegio: juridicos nepotibus ſuis legavit: ædes autem, quas *Dillingæ* proprias habuit, *Hieronymiano*, de quo multis ſuperius in *Othone* TRUCHSESSIO dixi, *Collegio* tranſcripſit. Libris denique, quibus Rempublicam litterariam locupletandam ornandamque cenſuit, tantum eſt laudis ac gloriæ conſecutus, quantum Scriptorum plerique nunquam aſſequuntur. Elucet in eis judicium exactum, cura ſcribendi ſingularis,

M 5 doctri-

doctrina firma ac ſolida. Qua deinde via in Libris conficiundis uſus ſit, aptiſſime ex ejus *Epiſtola* ad *Joannem* COCHLAEUM, quem *dimidium animæ ſuæ* appellat, diſcemus, in qua ait: *Quod ad tractatum meorum librorum attinet, tria ſunt.. in Scriptis meis attendenda: verba, res, methodus. Verba Scripturarum & Patrum ita imitor, ut nusquam ab ipſis, niſi quantum tractatus ratio exigit, diſcedam, ut ſcilicet ex his ipſis liberum permittatur Lectori, de ſententia tam Scripturarum quam Auctorum, ex eorundem verbis, judicare. Res ego non fingo, ſed ita propono, ut Lector intelligat, eas non a me confictas, ſed, ut ſcripturæ & propoſiti argumenti ſeries exigit, & Eccleſiæ uſus præſcribit, eſſe traditas. Methodum in ſcriptis meis ideo libenter obſervo, quod non ſit certior tractandi modus, quam qui ſit per methodum... Ego in ſcriptis meis ita methodum obſervo, ut perpetuo quodam ordine ubique in via, quam methodus præſcribit, Lectorem retineam, neque ad diverticula me convertam.* Hæc ille, uti ſcripſit, ſic reipſa præſtitit, utpote ad certam & concinnam methodi rationem omnia conferens, ſupervacanea reſecans, in verbis ac rebus curam ſingularem oſtendens, absque pictorata eloquentia ſolide docens ea, quæ ad rem præſentem maxime faciunt. Hæc de modo, quem in Libris ſcribendis *Noſter* adhibuit; jam de modo, quo Libros a ſe ſcriptos in lucem eduxit. Tametſi *Noſter* doctos labores ſuos non in hoc ſuſceperit, ut a ſe ſcripta in publicum ederentur, ſed ut veluti ſcutum ſibi eſſent adverſus eos, *qui in obſcuro ſagittant rectos corde*: proque modeſtia ſua libros ſuos rudes & imperfectos planeque indignos, qui abs Eruditis legerentur, æſtimaſſet; tamen *Joannis* COCHLAEI interventu hanc animi ſententiam mutavit. Etenim is, *ſacrarum litterarum omnium-*

que

que honeſtarum diſciplinarum doctiſſimus Vir, cui BRUNUS ſcripta ſua legenda recognoſcendaque concrediderat, ubi illa pervolutarat, ſuadere, imo urgere etiam ac cogere cœpit, ut illa *Noſter* non in ſuos duntaxat uſus reſervaret, ſed in publicam quoque utilitatem vulgari permitteret. Amici igitur ſui auctoritate permotus conſenſit BRUNUS, & quædam ex his, quæ utcunque a ſe ſcripta fuerant & quæ antea ſupprimenda judicarat, typis publicandi licentiam dedit. Hac accepta COCHLAEUS annis 1547. & 1548. *Fragmenta* quædam Librorum BRUNI in publicum ſpargi curavit, exploraturus quo animo, qua gratia Lectores Libros ipſos eſſent excepturi. Cum autem per illa *Fragmenta* intellexiſſet probe, operæ precium fore, ut Libri ipſi primo quoque tempore ſubmitterentur, rem alacriter aggreſſus eſt, & laborum & impenſarum onera ſtrenue ſubiens. Hinc pleraque *Noſtri* ſcripta *Moguntinis* excuſa litteris : hinc COCHLAEI, qui ibidem Canonicus ad ædem *S. Victoris* fuit, præfationibus ampliſſimisque, uti merentur, & fuſiſſimis encomiis munita prodiverunt. Atque ex hoc ipſo quivis ſanæ mentis facile de præſtantia horum Operum judicium feret; utpote quorum auctor, Vir doctiſſimus : quorum editor & nutricius, Vir itidem doctiſſimus extitit (*m*). Factum autem magno tum famæ BRUNI noſtri, tum publicæ utilitatis detrimento, ut COCHLAEUS poſt paucos annos naturæ debitum moriendo exſolveret; quo, anno 1552. mortuo, publicatio Operum BRUNI (ſive quod is negotiis aliis obrutus, ſive ſenio gravatus eſſet, ſive ob alias, neſcio, quas cauſſas) ceſſavit. Interim cum civitate

(*m*) Vide *Noſtri* Dedicatoriam ad Opus *de Imaginibus*. & Præfationem COCHLAEI ad Opus *de Legationibus*.

tate *Moguntina* publicandorum *Operum* BRUNI honorem urbs *Dillinga* partiri minime intermiſit ; ubi aliqua *Noſtri* ſcripta recuſa fuiſſe, monuit HENDREICHUS in *Pandect. Brandenburg.*

Sed jam ad ipſorum Librorum, a *Noſtro* conſcriptorum, catalogum texendum progredi juvat. Ejus itaque ſunt:

I. *Conſtitutiones*, ſeu *Forma Judicii Cameræ Imperialis*, de qua pluribus paulo ante dictum eſt.

II. *Annotata de Perſonis Judicii Cameræ Imperialis.* Vide Commentationem Anonymi: *de Vita & Scriptis Noſtri*, initio hujus narrationis laudatam. Prodierunt hæc *Annotata* iteratis typis, teſte *Joanne* CLESSIO in *Elencho conſummatiſſimo unius Sæculi Librorum*, *P. I. p.* 286. ſequenti titulo: *Annotata &c. a primo illius exordio, usque ad annum Domini* 1556. *ante aliquot annos edita, nunc vero, ad annum* 1572. *completa.* fol. *Francofurti.* 1572.

III. *Breve Introductorium de Hæreticis.* Ita teſtatur *Chriſtian. Gottlieb.* JOECHERUS in *Gelehrten-Lexicon.*

IV. *De Cerimoniis Capitula tria, e tribus ejus Libris I. III.& VI. excerpta.* in 8o. 1548. *Moguntiæ.* V. *Bibliothecam Moguntinam Steph. Alex.* WURDTWEINII.

V. *Capitula tria de Legationibus.* in 8o. *Moguntiæ.* Apud *Franciſcum Behem.* 1548. Ita teſtatur *Index in Annal. Maittairianos. T. I. p.* 211.

Hæc tria Opuscula, *No. III. IV.* & *V.* deſcripta, *Fragmenta* ſive *Specimina* illa fuiſſe deputo, quibus COCHLAEUS Rempublicam litterariam tentandam ſibi ſumpſit, ut quo illa vultu ipſa BRUNI Opera exceptura eſſet, cognoſceret.

VI.

VI. *Opera tria nunc primum edita : De Legationibus Libri V. cunctis in Republica verſantibus aut quolibet magiſtratu fungentibus perutiles & lectu jucundi. De Cæremoniis Libri VI. ad veram pietatem Deique cultum, contra errores & abuſus, viam oſtendentes. De Imaginibus Liber I. ex omni diſciplinarum genere copioſe differens.* Ex Officina *Franciſci Behem. Moguntiæ*, in *folio.* M D XLVIII. *Primum* Opus *Noſter Othoni* TRUCHSESSIO S. R. E. Cardinali & Epi copo Auguſtano : *ſecundum*, *Melchiori* Epiſcopo Herbipolenſi : *tertium*, *Alexandro* FARNESIO S. R. E. Cardinali & Vice - Cancellario dedicavit. Conferri poterit *Bibliotheca Moguntina Steph. Alex.* WURDTWEINII, *p.* 182. ubi tamen RRmus Auctor in eo errat , quod *Pelicanum pullos alentem*, in fine *Operis: De Legationibus* occurrentem, inſigne typographi eſſe exiſtimet ; cum inſigne *Othonis* Epiſcopi *Auguſtani* ſit.

Opus *de Legationibus* duo Scriptores ſynchroni, eruditione plurimum valentes, honorificentiſſimis teſtimoniis proſecuti ſunt. Prior, *Viglius* ZUICHEMUS *ab Aytta* (*n*) in *Epiſtola ex caſtris Cæſaris Lavingam inter Dillingamque anno* 1546. data , ad illud Opus typis edendum *Noſtrum* his verbis animare non dubitavit*: Rem plane iſta multijuga eruditione tua , lectioneque dignam , & ſtudioſis hominibus inprimis gratam feciſti,* BRUNE *dociſſime ! qui foetum illum præclarum , cujus mihi aliquando Spiræ ſpecimen edidiſti , ad maturitatem perduxeris. . . Quamobrem ut iſtius tuæ operæ pretium gratiamque ab bonis & eruditis hominibus vivis accipias , nonnulliſque , quorum invidiam tua excitavit virtus , objicias , in quo genuinum frangant , fac , ut typis id Opus excudatur. . .*

(*n*) V. PAPPENDRECHT *Analecta Belgica.*

datur... Alter, videlicet Auctor anonymus *Commentationis de Vita & Scriptis Conradi Bruni*, præfixæ *Admonitioni catholicæ* ejusdem *Bruni*, poſt mortem ejus editæ, de qua initio totius hujus narrationis dixi, ſequenti encomio memoratos *Libros de Legationibus* ornat: *Sunt illi mirabili ordine conſcripti, & recondita eruditione ita referti, ut vix ullus ſive vetuſtiorum ſive recentiorum Auctorum hoc argumenti genus tam ample, tam ſubtiliter & concinne pertractaverit.*

VII. *Epiſtola, privatim ſcripta ad Joannem* COCHLAEUM, *de Ratione ſcribendi Methodum*, data anno 1547. die 9. Novembris, *Auguſtæ*. Hæc præmittitur Libro *de Imaginibus*.

VIII. *De Hæreticis in genere Libri VI.* Acceſſit *S. Optatus Millevitanus de Schiſmate Donatiſtarum*, cura *Joannis* COCHLAEI editus. *Moguntiæ*. in *folio*. Ex Officina *Franciſci Behem*. 1549. Opus a *Noſtro* dicatum eſt *Joanni ab* ISENBERG Archiepiſcopo Treverenſi &c. Reperitur item in vaſtiſſima Collectione *Tractatuum Juris univerſi*, anno 1584. *Venetiis* procuſa, *Tom. XI. P. II. p.* 271. Opus *magnæ doctrinæ* vocat *Carol.* STENGELIUS.

IX. *De Calumniis Libri III. Moguntiæ.* Ex Officina *Franciſci Behem*. 1549. Vide *Mart.* LIPENII *Biblioth. juridic.*

X. *De univerſali Concilio Libri IX.* Anonymus Scriptor Commentationis *de Vita & Scriptis Noſtri ſex* duntaxat *Libros de Concilio univerſali* ſcripſiſſe BRUNUM, *ſed quos imperfectos reliquit*, affirmat. Ipſe BRUNUS in Dedicatoria ad Opus *de Imaginibus ſex* tantum *Libros* ſcripſiſſe ſe monet. Poſtea tamen *Venetiis*, anno 1584. (Credo ego in mox dicta vaſtiſſima Collectione *Tractatuum Juris univer-*

ſi)

ſi) *Libros IX.* comparuiſſe, teſtatur *Mart.* LIPENIUS in *Biblioth. jurid.* Confer HENDREICH *Pandect. Brandenburg.* Certe Titulus Operis a *Noſtro* editi: *De Hæreticis*, *Libros* IX. prodituros proxime, Orbi litterato annunciavit.

XI. *De Seditionibus Libri VI. rationibus & exemplis ex omni doctrinarum & auctorum genere locupletati.* Accedit *Joannis* COCHLAEI *Theologi de Seditioſis Appendix triplex.* Ex Officina *Franciſci Behem*, in *folio.* MDL. Si *Mart.* LIPENIO in *Biblioth. juridica* fidem habemus, prima editio, ſine COCHLAEI *Appendice*, jam anno 1549. *Moguntiæ* exiit. Reperitur etiam in memorata vaſtiſſima Collectione *Tractatuum univerſi Juris*, *Tom. XI. P. I. p.* 98. Conſecravit *Noſter* hoc Opus *Ferdinando Romanorum*, *Hungariæ & Bohemiæ Regi &c. &c.*

XII. *Liber de Eccleſia.* De hoc Auctor anonymus ſæpiſſime laudatæ Commentationis *de Vita & Scriptis Noſtri* in hæc verba ſcribit: „ Habebat „ inſigne Opus præ manibus *de Politia eccleſiaſtica...* Hujus veluti fragmentum eſt *Liber,* in po„ ſtremis *Auguſtæ* Comitiis editus *de Eccleſia.* " Librum ipſum videre, mihi non contigit. Titulum *Chriſtian. Gottlieb.* JOECHER in *Gelehrten-Lexicon, T. I. p.* 1433. ſic eſſert: *Verſuch einer Abhandlung von dem Anſehen und der Gewalt der katholiſchen Kirche.* Hoc Opus *Dillingæ* anno 1559. in *folio* impreſſum fuiſſe, monet *Bibliotheca Geſnero-Simleriana*, *p.* 160.

XIII. *Adverſus novam Hiſtoriam eccleſiaſticam*, *quam Matthias* ILLYRICUS *& ejus Collegæ Magdeburgici per* Centurias *nuper ediderunt*, *ne quis illis malæ fidei Hiſtoricis novis fidat*, *Admonitio catholica.* *Dillingæ,* in 8o. MDLXV. Opus hoc poſthu-

mum

mum eſt, cui præit illa *Commentatio de Vita & Scriptis Noſtri*, qua in hac narratione multum uſus ſum, & ex qua diſcimus: „ *Noſtrum* hanc *Ad-* „ *monitionem* haud ita longe ante mortem, dum „ cæcitate laborabat, rogatum a Principe amanu- „ enſi ſuo dictaviſſe: eum primo ſpectaviſſe alio, „ quam ut hæc in lucem ederetur: nec dubium eſ- „ ſe, quin per ocium quædam adjuncturus, omnia- „ que magis elaborata daturus fuiſſet, ſi vita illi „ longior & edendi voluntas adfuiſſet: quidquid au- „ tem hoc Operis eſſet, dignum ſane viſum fuiſſe, „ quod non periret in tenebris, ſed propter com- „ munem Lectorum utilitatem luce publica dona- „ retur. “

Præter hactenus recenſita, teſte Anonymo Auctore Commentationis *de Vita & Scriptis Noſtri*, conſcripſit BRUNUS.

XIV. *Conſilia tum doctiſſima tum utiliſſima, quæ ad Juris Facultatem pertinent.*

XV. *Opus inſigne de Politia eccleſiaſtica, Libris III. comprehenſum, quod tamen morte imminente perficere haud potuit.* Confer Dedicationem *Noſtri* ad Opus *de Imaginibus.*

Denique quæ ad res eccleſiaſticas faciunt, multa ſæpe rogatus & ſponte compoſuit, quemadmodum

XVI. *Ordinationes, Reformationes, Viſitationes, & alia id genus, tum ad privatas tum ad publicas quorundam cauſas pertinentia.*

His omnibus adde, quæ in mox dicta Dedicatione ad Opus *de Imaginibus* ipſemet BRUNUS monet:

XVII. *Quæ ad Sacramenta pertinent, in Librum unum contuli... Adjunxi* Libris (*de Hæreticis*) *alia, quæ ad falſam Religionem pertinent*: XVIII.

XVIII. *De Idololatria Librum unum.*
XIX. *De Divinatione Librum unum.*
XX. *De ſuperſtitioſis Obſervationibus Librum unum.*

Habes, Lector! elenchum Operum BRUNI tum excuſorum, tum manuſcriptorum, ſollicite a me congeſtum. Ceterum conferre etiam poteris Librum: *Merckwürdigkeiten der Dresdenſchen Bibliotheck.*

X.

Bartholomæus KLEINDIENST, vel KLEINDINST, Alumnus *Ordinis Prædicatorum*, ab *Echardo* & *Quetiſio* ignoratus, ferme ab omnibus haud commeritæ oblivioni traditus, patria *Annabergenſis* fuit. In ea *Miſniæ* celebri urbe parentibus tenuis quidem fortunæ, ſed probitatis ſtudioſis genitus *Noſter* a teneris annis ea didicit, quæ omni ætate, præ reliquis omnibus, curæ eſſe cunctis debent: ſcilicet timere Deum, ſancteque ac pie vivere. Factus ætate grandior litteris & honeſtis diſciplinis operam dare cœpit, in quibus tantum brevi tempore profecit, tantamque docilitatem oſtendit, ut præceptores & amici, ingenium ejus in ſtudiis diutius alendum eſſe, uno ore ſuaderent. Proinde jam adoleſcens ad virtutem ingenuasque artes perdiſcendas ſeſe totum dans, quod naturali quodam affectu ad perfectæ eruditionis faſtigium raperetur, patria relicta in Academiam *Lipſienſem* ſe contulit: ubi induſtria ſua & probæ indolis alacritate patronos & mæcenates ſibi plurimos conciliavit, qui ſtudiorum ſumptus ſuppeditarent. Illinc paulo poſt digreſſus, *Lovanium* venit ad Academiam florentiſſimam, ubi doctiſſimorum virorum frequentia, & ſedulitate ſua eruditionem ante partam auxit,

auxit, morumque probitate & ſtudendi aſſiduitate *Ruardo* TAPPERO *Enchuſiano*, & *Tilmanno Clerico* GELDROPIO Moderatori Collegii pontificii ſeſe mirifice probavit, philoſophicis ſtudiis, quorum non mediocrem guſtum perceperat, egregiam operam in Gymnaſio, cui a conditore, *Standonici*: ab Inſigni antiquo ædificii diruti, in ejus fundi parte quadam, vulgo *Porci* nomen inditum, navans, inſuperque theologicas lectiones ac diſputationes frequenter adiens. Poſtquam autem de ſtudii & vitæ genere certum aliquid ſecum conſtituerat, in *Dillinganam* Academiam commigravit, ut ſe totum divinis Scripturis diſcundis manciparet; quod ſane conſilium ipſi optime ceſſit. Aderant namque in eo loco tunc temporis aliunde vocati (ut ſupra dixi) Viri rerum theologicarum peritiſſimi, quorum opera & inſtitutione, præcipue *Petri a* SOTO & *Martini Balduini* RHITOVII, intra paucos annos tantus evaſit, ut ſacræ *theologiæ* inſignia honorifice capeſſere commeruerit. Antequam autem eo dignitatis perveniſſet (Pervenit autem eò anno 1558. 24. die Novembris) ſacris, quos non niſi reformidans juſſu Superioris ſui, Conventui *Prædicatorum Auguſtano* præfecti, ſuſcepit, initiatus Ordinibus, eruditionis ſuæ & ſtudii erga ſanctam Religionem plurima documenta dedit, tum publice cum magno applauſu & admiratione docens, tum ad populum de ſuggeſtu ſacro per plures annos dicens.

Idem, poſtquam ſacram veſtem induerat, *Bononiam* conceſſit, non ſolum ſtudendi gratia, ſed ut, ibi aliquamdiu inter *Prædicatorii Ordinis* Viros agens, quid ad ſuſceptæ vitæ profeſſionem ſervandam ſibi neceſſarium eſſet, plenius addiſceret. Quod poſt ſuum reditum reipſa comprobavit, quado indies

dies magis ac magis ſingulare ſtudium ac fervor ex mius ad Eccleſiæ utilitatem promovendam in ipſo creſcebant.

Demum, cum nonnullis annis in *Dillingana* Academia, ubi etiam *ſacras Litteras* explicuit, cum laude maxima docuiſſet, inde diſcedens, *Romam* tetendit, ab *Othone Truchſeſſio*, a quo *ſumme diligebatur*, ægre dimiſſus. Ibi perfectis rebus ſuis, in *Germaniam* redire, & *Friburgum Briſgoiæ* petere ſtatuerat, ut familiæ *Ordinis* ſui in ea civitate degenti præeſſet. In eum finem duplici Epiſtola commendatitia ab *Othone* munitus (*prima* ad *Ferdinandum Romanum Imperatorem*: in qua Cardinalis *probatæ doctrinæ & ſpectatæ virtutis teſtimonium* Noſtro perhibere, eumque *doctum ac bonum*, *ſtudio propagandæ Religionis incenſum* Virum vocare non dubitavit: *altera* ad Proceres *Academiæ Friburgenſis*, qua Noſtrum ab *excellenti virtute & exquiſita doctrina* prædicat, addens, *videre ſe, magnum in diſceſſu Bartholomæi fieri damnum Academiæ ſuæ Dillingenſi, quam is aliquot annis doctrina & vitæ exemplo ornaſſet, ſeque polliceri, fore, ut tanto & uſui, & ornamento, & ſaluti civitati is exiſtat, ut manſio ejus præſentibus gratiſſima, & memoria poſteris jucundiſſima futura ſit.*) in viam ſe dat *Noſter*. Circa *Venetias* autem per *Styriam* & *Carinthiam* iter ad Cæſarem declinans, dum *Pannoniæ* limites contingit, morbum perſentire incipit: *Viennam* vero appulſus, cum medici opera relevari amplius haud poſſet, in cænobio *Dominicanorum* piiſſimam vitam morte piiſſima conſummavit anno 1560. VIII. Idus Octobr. in profeſto *S. Dionyſii Areopagitæ*.

Virtutes & doctrinam *Noſtri* prolixo ſtylo commendarunt *Matth. Galen.* WESTCAPELLUS, *Theolo-*

gus Lovanienſis, tum Profeſſor SS. Litterarum in Academia *Dillingana* : *Jacobus* MENCHUSIUS : *Adrianus* BESEMERUS , quorum tum *Orationes funebres*, tum *Epicedia* in *Noſtrum* ſimul excuſa habentur *Dillingæ* 1561. in 4to. ex quibus hæc decerpſi, uti etiam ex *Jul.* POGGIANI *Epiſtolis*, & ex *Actis Academiæ Dillinganæ MMus.* A *Bartholomæo* noſtro extat

I. Libellus typis exſcriptus hoc titulo : *Ein recht catholiſch und evangeliſch Ermanung an ſeine lieben Teutſchen , darinn klärlich , ſchrifftlich und grundlich wird angezeigt , wie ſich die gutherzigen alten Chriſten in Glauben - und Religions - Sachen zu dieſen gefährlichen Zeiten halten ſollen &c.* in 8o. 1556. (*a*) & *Dillingæ*. 1560. 1570. 1580. in 8o.

II. *Epiſtolæ*, quas citatus WESTCAPELLUS *decretales* vocat, & de quibus in hæc verba loquitur : *Poſt diurnum laborem , cum natura ad quietem invitaret . . . ſe conferebat ad* Cauſſas *per Litteras ad ſe delatas , quas , ſæpe bona noctis parte inſomnis , ſuis* decretalibus Epiſtolis *decidebat. Hic autem labor , perſuaderi ſibi a clientibus variis eſt paſſus , ut coaleſcere in unum corpus curaretur : ac Romæ pridem calculis ſeveriſſimis comprobatus propediem (uti ſperamus) in lucem prodibit . . . .* Hoc an factum ſit, dicere non habeo.

III *Conſultatio*, data ad *Othonem* Cardinalem , *de quibusdam , quæ ad ſtabiliendum & perficiendum Collegium S. Hieronymi partim utilia , partim neceſſaria videntur* , habetur in eodem Collegio *manuſcripta.*

Hæc pauca de *Bartholomæo* KLEINDIENST ſufficiant, quem ſuperius nominati Eruditi ſynchroni *magnum*

(*a*) Ita *Catalogus Bibliothecæ San - Udalricanæ* docet.

magnum Fidei catholicæ Adſertorem, *incomparabilem S. Theologiæ Profeſſorem, doctiſſimum & eloquentiſſimum Verbi Dei Concionatorem* appellare non dubitarunt.

XI.

Stephanus AGRICOLA habuit patrem, cui itidem *Stephani* nomen fuit, *Agricolam*, vulgo *Kaſtenbauer*, gente *Bavarum*, deſertaque Fide catholica *Verbi*, ut vocant, *Miniſtrum* per aliquot annos *Auguſtæ* (Vide Librum: *Miniſterium evangelicum Auguſtanum*, in 4to) poſtea concionatorem in *Curiæ* in *Voigtlandia*, paſtoremque *Merſeburgi*. Noſter *Auguſtæ* natus, a *Philippo Melanchtone* educatus, jam ad aliquam nominis famam inter ſuos pervenerat, cum ejuratis novitiis doctrinis ad avitæ Religionis ſacra revertitur. Cauſſa hujus rei fuit iſta; Inter alios *Jacobus* ANDREAE Præco *Göppingenſis*, fabri filius, & hinc vulgari SCHMIDLINI nomine notior, vulgato libro fæde *Societatem Jeſu* traduxerat. Hunc legens *Noſter* occaſionemque nactus in *Petri* CANISII & Sociorum ejus, quos ad anno 1558. 1559. *Auguſtæ* habita Comitia *Ferdinandus* Cæſar duxerat, mores accuratius inveſtigandi, cum in *Schmidlini* Opere nihil ſani deprehendiſſet, ad Orthodoxos tranſiit, edito lingua vernacula Libello, quo *Schmidlini* calumnias reſutavit, ovesque ſuas ad ſalutaria paſcua reducere conatus eſt. Fuit apprime charus non ſolum *Julio* PFLUGIO *Naumburgenſi*, ſed etiam *Othoni Auguſtano* epiſcopis; cujus tum hortationibus incitatus, tum voti nuncupati religione ſeſe exſoluturus, anno 1560. exeunte *Romam* venit. Subin *Caniſii* ſuaſu, ut in monaſterium aliquod admitteretur, exoravit; in quo, citra votorum obligationem tamen, ad finem vitæ usque perſe-

perſeveravit. Habentur a *Stephano* noſtro, quâ Sacris catholicis addicto, nam & antea nonnulla, doctrinæ *Majoriſticæ* affinia, vulgaverat.

I. *Für die Geſellſchaft Jeſu gegründte Verantwortung und Entſchuldigung auf etlicher newer Anklag- und Erdichtung.* in 8o. *Cöln.* 1560. Libellus dicatus *Johanni Gebhardo*, Archiepiſcopo *Colonienſi.*

II. *Caſpar.* CONTARENI *Cardinal. Catechiſmus oder kurze Summa der Lehre der heil. chriſtl. Kirchen.* in 8o. *Dillingen.* 1560. Opuſculum dedicatum *Raymundo* & *Joh. Jacobo* FUGGERIS Baronibus *in Kirchberg &c.*

III. *Caſparis* CONTARENI *von des Bapſtes zu Rom Gewalt kurzer und wohlgegründeter Unterricht.* in 8o. *Dillingen.* 1560. Lucubratio *Michaeli* Archiepiſcopo *Salisburgenſi* inſcripta.

IV. *Joannis* HAGEN, alias *de Indagine Ord. Carthuſ. von den allgemeinen Conciliis, und wie man ſich zur Zeit eines Schiſmatis .. halten ſoll, chriſtlicher gegründter Unterricht.* in 8o. *Dillingen.* 1560. Nuncupavit Libellum hunc, interventu *D. Julii* PFLUGII epiſcopi *Naumburgenſis*, a *Simone* KRAUSEN Priore Carthuſiæ *Erfordenſis*, una cum brevi *Vitæ Auctoris* ſynopſi acceptum, a ſe germanice verſum, *Danieli* Archiepiſcopo *Moguntino.*

V. VINCENTII *Lirinenſis Commonitorium adverſus hæreſes*, quod germanicam in linguam ſe traduxiſſe in mox memorata *Dedicatione* profitetur, addito promiſſo, ſe illud etiam latine vulgaturum.

VI. Curavit editionem Libri: *De Eccleſia Chriſti ab hæreticorum conciliabulis dignoſcenda, auctore Jac.* NOGUERA, *Dillingæ.* 1560. eique præfatus eſt.;

VII.

VII. Epiſtolam *Noſtri* ad *Jul.* PFLUGIUM exhibet CYPRIANUS in *Tabular. Eccleſ. Roman. p.* 547.

VIII. Hæreo deinde incertus, an *Noſtro* adſcribendæ non ſint *Conciones*, quas *Jo.* CLESSIUS in *Elencho conſummatiſſimo &c. P. II. p.* 130. laudat hoc titulo: AGRICOLAE *Syncerioris drey chriſtliche Predigen. die erſt, wie die Seligkeit anderſwo nicht als in der catholiſchen Kirchen Gottes zu ſuchen, wie das hochwürdige Sacrament des Altars nuzlich zu empfahen. wie rechtſchaffene Buß zu wirken ſey.* in 8°. *München.* 1571.

Vide *Hiſtoriam Provinciæ Soc. Jeſu, Germ. ſuper. T. I. p.* 50. *Jöchern Gelehrten - Lexicon, T. I. Jul.* POGIANI *Epiſt. & Orat. T. II.* ADELUNG *Fortſezung des Jöcherſchen Gelehrten - Lexicon*, & quos hic citat Auctores. TRINII *Geſchichte berühmter Gottesgelehrten. T. III. p.* 452.

XII.

Joannes HOLTHUSIUS, patria *Kempenſis* ex *Belgio*, vixit maxime ſub *Othone* TRUCHSESSIO, qui plures Viros doctos ex his oris ad ſe evocarat. Fuit Capellanus (ut conſueto vocabulo utar) ad *S. Barbaram, Auguſtæ*; Examinator Ordinandorum: Ludique litterarii Baſilicæ *Auguſtanæ* Moderator. Quantum id curæ habuerit, ut impoſita ſibi munia egregie fideque impleret, editis variis Opuſculis comprobavit. Sunt illa:

I. *Modus examinandi SS. Ordinum Candidatos juxta Eccleſiæ Auguſtanæ morem conſcriptus.* in 8°. *Dillingæ.* 1564. & iterum 1565. (*a*). *Venetiis* 1570. *Dillingæ.* 1571. *Gandavi.* 1573. Dicavit Opus hoc

 Noſter

(*a*) V. EHINGERI *Catalog. Bibl. Auguſt.* Confer *Bibliothecam Geſnero-Simlero-Friſianam.*

Noſter Marquardo de BERG tum adhuc *Præpoſito*, *Chriſtophoro de* FREYBERG tum adhuc *Decano*, & Capitulo cathedrali *Auguſtano*.

II. *Syntaxis facilis*, *brevis ac compendiaria &c.* in 8°. 1571. & *Auguſtæ* 1582. Dedicavit eidem *ſacro Senatui*.

III. *Grammatica facilis*, *brevis ac compendiaria &c.* in 8°. 1572. & *Auguſtæ*. 1575. (*b*) & *rurſus* 1582. Hanc ſacravit *Georgio*, monaſterii *S. Crucis*, *Auguſtæ*, Præpoſito, *fautori ſuo ſingulari beneſactorique optime de ſe merito*. In *Dedicatione*, quo fructu *Scholæ Marianæ* præfuerit, his verbis indicat: *Ex qua æterno Deo laus & gloria! jam ſpacio annorum plus, minus XV. quo ei præfui, aliquot centeni non omnino inidonei catholicæ Eccleſiæ miniſtri prodierunt.*

IV. *Compendium Cantionum eccleſiaſticarum*, in 8°. 1579. Apud *Michaelem Manger*.

Epitaphium ejus ſequens invenio apud KHAMMIUM (*c*)

Reverendi ac Eruditi M. Joannis Holthuſii Kempenſis Capellani S. Barbaræ & Ludi litterarii hujus Auguſtenſis Baſilicæ Moderatoris piæ memoriæ.

Lux *nona Quintilis* fuit exitioſa *Joanni*
Holthuſio; invenit ſpicula namque necis.
Mellitis ipſum precibus *Regina polorum*
Nec non & Virgo *Barbara* diva juvent!
Hujus namque aræ multos ſervivit in annos,
Illius pluries præfuit atque Scholæ.

Laza-

(*b*) V. LIPENII *Bibl. Philoſoph.* v. *Holzhuſius*.
(*c*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.* 668.

Lazarus Kleindienſt Affini ſuo chariſſ.
F. C.
Sic mors mortalia ſolvit.
An. ſalutis M.D.LXXXI.die vero XXII. menſ. Jun.

Wilhelmus EISENGREIN (*d*) *Noſtro* hoc encomium ſcripſit: *Ad D. Mariam Virginem Auguſtæ Vindelicorum Ludi - Director, & Ordinandorum Examinator, Artium & Philoſophiæ Magiſter, Vir diſertiſſimus, moribus & doctrina inſignis, nec minus vita quam converſatione præclarus*, Modum examinandi &c. *conſcripſit, &, Catechiſmi inſtar, per quæſtiones & pias catholicasque reſponſiones ſuccincta brevitate digeſſit.*

(*d*) In *Catal. Teſtium Veritatis.* 4°. 1565. *Dillingæ.*

XIII.

Joannes SCHENCKING, qui *Othonis* TRUCHSESSII, *Jo. Egolphi a* KNOERINGEN & *Marquardi a* BERG temporibus vixit, patria *Monaſterienſis Weſtphalus; Juris utriusque Doctor; Canonicorumque* cathedralis *Auguſtanæ* Eccleſiæ albo anno 1567. adſcriptus. Fuit is *Vicarius* in Spiritualibus *generalis*, nobiliſque proſapiæ ſuæ defenſor acerrimus, quam contra Canonicos *Monaſterienſes* perdocto libro, cui titulum ſequentem fecit, ſtrenue propugnavit:

Ad omnes S. R. I. & ſingularium provinciarum Ordines, ipſosque Canonicos Monaſterienſes adverſarios, pro militari Progenitorum ſuorum nobilitate: quodque Nobiles civitatis Monaſterienſis, germanice Erbmanns *vocati, & nunc ſint, & ſine ſcientia alicujus initii fuerint vere Nobiles militares: Canonicique Monaſterienſes injuſte de quorumcunque ſuorum privilegiorum, ſtatutorum, conſuetudinumque læſio-*

ne conquerantur. Joannes SCHENCKING *V. I. Doctor, Canonicus Auguſtanus.* in 4to. 1576. Supremis fatis conceſſit anno 1581. die 19. Julii.

XIV.

Hermannus BAUMGARTNER, melius BAUMGAERTNER *Gelnhuſæ* in hanc lucem editus eſt. Junior, dum *Heidelbergæ* optimis litteris vacabat, didaſcalum habuit *Joannem* HARTUNGUM *(a)*. Fuit Civis *Auguſtanus*, *Præfectus* (vernacule *Verw alter*) Scholæ ad *S. Martinum*, *Auguſtæ*; *Fiſcalis* Epiſcopi *Auguſtani*. Quæ hactenus de *Noſtro* dixi, eo magis cum veritate conſentiunt, quo diſtinctius illa de ſe ipſe in ſequentibus profitetur. Extant a *Noſtro*

I. *Ruewardus: ein nuzlich wahr evangeliſch Buch,* Rüwardus, *genant, das iſt, von wahrer Ruhe der Seelen . . . beſchriben von Wilhelm Damaſus Lindanus . . . (b) jezund in die teuſche Sprache gebracht durch Hermann* BAUMGARTNER *von Gelnhauſen.* 8o. *Dillingen.* 1569. Dedicatio a *Noſtro* dirigitur ad *Ulricum* Comitem *de* HELFENSTAIN, Baronem in *Gundelfingen* & *Wiſenſtaig*, in qua inter alia ait: ſe *Heidelbergæ* communem cum memorato Comite præceptorem habuiſſe *Joannem* HARTUNGUM: ſeque ob eam maxime cauſſam hanc *Verſionem* mox dicto Comiti conſecrare, ut is haberet, unde in avita Religione, quam relictis illorum temporum pſeudo-

(a) De *Joann.* HARTUNGO videri poterunt, *M.* FREHERI *Theatrum Eruditorum.* ADAMI *Vitæ Eruditorum.* PANTALEON *Proſopographia.*

(b) LINDANUS aliquamdiu *Dillingæ* Theologiam docuit, atque ex eo munere *Noſtro* innotuit. De LINDANO conferri poterunt ANDREAE *Biblioth. Belgica.* GHILINI *Theatro d' Uomini letterati.* POSSEVINI *Apparatus ſacer.*

pſeudodogmatibus (Vide *ſuperius* in *Othone* TRUCHSESSIO , *p.* 103.) amplexus fuerat, confirmetur. Dedicationis dies eſt 21. Maji , 1569. ſubſcriptio vero ſequens : *Hermann* BAUMGARTNER *Verwalter der Schul zu St. Martin in Augsburg* (*c*).

II. *Geiſtliche Bildſeul oder Wegweiſerin , das iſt, ein wohlgegründt und recht chriſtlichs Büchlein,darinn der rechte Weg zur einigen allein ſeligmachenden Kirchen Gottes , und folgends zum ewigen Leben , augenſcheinlich gezeigt und gewieſen wirdt , gezogen aus zweyen Tractätlein Ludovici* BLOSII , *und verteutſcht.* 12°. *Dillingen.* 1571. (*d*)

III. *M.* MARULI *Spalatenſis ſechs Bücher von gedächtnuß - würdigen Reden und Thaten anfänglich durch Hermann* BAUMGARTNER *Burger und biſchöflichen Fiſcal verteutſcht , jezund corrigiert &c.* 4°. *Dillingen.* 1614. (*e*) Dedicatio ad *Marquardum a* BERG epiſcopum *Auguſtanum* , cujus brevem mentionem ſuperius feci *pag.* 28. data ex *Fiſcalis* domo 1582. 14. April. docet : *Noſtrum* hanc *Verſionem* hortatu *Michaelis* DORNVOGEL , epiſcopi *Adrimyteni* , Suffraganei epiſcopi *Auguſtani* (*f*) ſuſcepiſſe , &

(*c*) Hoc Opus *Noſtri* vidi in Bibliotheca *San - Udalricana* , *Auguſtæ*. Confer *Chriſt.* HENDREICH *Pandectæ Brandenburg. Tom. I. p.* 459. *Joſ.* SIMLERI *Bibliothecam.*

(*d*) Vid. *Joann.* CLESSII *Elenchus conſummatiſſimus unicus Sæculi ab anno* 1500. *ad* 1600. *P. II. p.* 148. item *Chriſt.* HENDREICH *Pandectæ Brandenburgicæ* , *T. I. p.* 459. *Joſ.* SIMLERI *Bibliotheca.*

(*e*) Hæc Editio extat in Bibliotheca *San - Udalricana, Auguſtæ.*

(*f*) De DORNVOGELIO , Viro omni laude digno, conſuli meretur *P. Corbin.* KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. pag.* 506. ubi poſt multa encomia habetur Epitaphium ejus , ſequentis tenoris : *Michael Dornvogel D. Epiſco-*

& nocturnis maxime horis confeciſſe. Ex his colligere pronum eſt, primam Operis hujus editionem anno 1582. prodiviſſe in lucem (*). Vidi etiam editionem *Dillinganam*, anni 1594.

IV. *Spiegel der Vollkommenheit.* 12°. *Dillingen.* 1598. (g) iterum 1608.& 1738. 8°. *Praga*,hoc titulo: *Spiegel der Vollkommenheit, das iſt, kurze Anführung zur Ruhe des Herzens, Reinigkeit der Seelen, Liebs - Vereinigung mit Gott. Erſtlich durch einen Anonymum in nieder - teutſcher Sprach beſchrieben, alsdann durch R. D. Antonium* HEMERTIUM (*h*) *in die lateiniſche Sprach ubertragen, letzlich durch Herrn Hermannum* BAUMGAERTNERN, *fürſtl. biſchöfflichen Fiſcal zu Augſpurg in die ober - teutſche Sprach überſetzet, anjezo . . . nach* 130. *Jahren wiederumb in Druck herauſsgegeben.*

piſcopus Adramytenus, Auguſtæque multis annis catholicus Eccleſiaſtes, ſacrorum trium Epiſcoporum in Pontificalibus & Spiritualibus Vicarius ibidem generalis, defunctus anno ſalutis M. D. LXXXIX. die VI. Decembr. Anno vitæ LXXI. SS. Eccleſiæ precibus M. S. C.

(*) De hac videri poterit *Jo.* CLESSII *Elenchus*, *p.* 160.

(*g*) Vide *eundem*, *pag.* 148. item *Chriſt.* HENDREICH *Pandectæ Brandenburg. T. I. p.* 459.

(*h*) Fors melius: HERMETIUM.

XV.

Cleophas DISTELMAYR fuit Parochus *Dietenheimenſis* (*a*): fuit etiam cathedralis Eccleſiæ *Auguſtanæ* Chori - Vicarius & Cærimoniarius, *Magiſter Artium*, *Theologus* (*b*). *Dillingæ* natus, *Auguſtæ*

(*a*) Ita legi in *Andr. Fel.* OEFELII *Peutingerianis MSStis.*

(*b*) *Theologum* ſe vocat ipſe in titulo Libri ſui: *Ausſchütt - und Stäuberung &c.*

guſtæ vero educatus, & Patrum *Societatis Jeſu* inſtitutionibus uſus (*c*), edidit ſequentia:

I. *Euripus. Eine ſchöne und chriſtliche Tragoedia uber die Wort, Matth.* 7. Gehet hin durch die enge Porten. *lateiniſch beſchriben durch P. F. Livium Brechto Antverpienſ. S. Franc. Ord. in Verſen, und verdeutſcht in Verſen. Dillingen* 1582. Opus a *Noſtro Wolfg. Andr. Rem a* KOEZ (*d*). Præpoſito cathedrali *Auguſtano* dicatum.

II. *Apologia fur die lobwürdig Societät Jeſu wider Polycarpi Leyſers falſch erdichtete Hiſtorie des Jeſuiter - Ordens.* 4to. *Ingolſtadt.* 1594. Opus ex latino *Petri Stevartii* S. Scripturæ Doctoris converſum.

III. *Jacobi Gretſeri S. J. Refutatio Libri: Hiſtoria Ordinis Jeſuitici, conſcripti ab Elia Haſenmuller, & editi a Polycarpo Leyſero, ins Deutſche gebracht.* 4o. *Ingolſtadt.* 1595. Dicavit *Noſter Johanni* Præpoſito *Elvacenſi.*

IV. *Wall - und Bilgerfarth Mariæ, das iſt: andächtige Betrachtung vom Leben, Leiden, und Sterben Chriſti und Mariæ.* 8o. *Augſpurg.* 1597. (*).

V. *Zweinzig Haupt - Urſachen, und handgreifliche Beweiſungen, daſs der Römiſch Papſt nich ſey, noch ohne hoche Injuri und Läſterung der Antichriſt möge genennet werden.* 4o. *Ingolſtadt.* 1602. Opus ex latino *Petri Tyræi S. J.* translatum inſcripſit *Noſter Maximiliano* Palatino *Rheni*, Duci utriusque *Bavariæ.*

VI.

(*c*) Ipſe hoc de ſe teſtatur in *præfatione* ad Librum: *Jac. Gretſeri S. J. Refutatio Libri &c.*

(*d*) De Viro hoc inclyto egi paulo ante, *p.* 172.

(* Ita habet *Jo.* CLESSIUS in *Elencho conſummatiſſ. unius ſæculi Librorum. P. II. p.* 137.

VI. *Auſchütt - und Stäuberung der guten Jeſuiteriſchen* Neue Zeitung, *welche verſchines* 1604. *Jahrs Baruch (Molli) Thor, ſonſt Barthl Rülich, in Druck verfertiget.* 4°. *Gräz.* 1608. Opus *Ferdinando*, *Auſtriæ* Archiduci, ſacrum.

VII. *Icones Sanctorum in ſingulos anni dies cum elogiis & indice chronologico. Auguſtæ.* 1610. dicatæ *Johanni* Antiſtiti monaſterii *Cæſarienſis*.

VIII. *Ein paar duzent grober Unwahrheiten.* 4°. *Ingolſtadt.* 1615. (*e*)

IX. *Martini* SISCOVII *RRmi Archiepiſcopi Cracovienſis Cancellarii, & ejusdem cathedralis Eccleſiæ Canonici Oratio apologetica pro Patribus Societatis Jeſu*, quam *Noſter* in vernaculum idioma translatum luci dedit.

Juvat addere *Epitaphium*, quod in Eccleſia cathedrali *Auguſtana* poſitum ad *Noſtri* laudem affert *Corb.* KHAMMIUS (*f*).

Hoſpes pellege!
Cleophas Diſtelmair Sacerdos Jubilæus,
Dillingæ natus, Auguſtæ educatus,
Atque ſitus, ubi fuit in æde ſumma B. Virginis
Chori - Vicarius, & bonarum littera-
rum ac Cærimoniarum Magiſter.
Quod tibi a vivis optabis, mortuo huic opta (*g*)
Mortuus a vivo valebis & ſalvebis.
Sequeris.
Vixit annis circiter 80. *Obiit*

poſt

(*e*) Hoc Opus ſcriptum eſt contra *Jac.* HEILBRUNNERUM ejusque *Narrationem de Colloquio* ipſum inter & *Jacobum* KELLERUM *Neoburgi* ad *Danubium* habito.

(*f*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. Colleg. p.* 503.

(*g*) Sic reſtitui ego; cum quæ KHAMMIUS ponit, omni omnino ſenſu careant.

poſt Chriſtum natum anno 1628. *die* 18. *Februar.*
Hæreſeos hoſtis jaceo, taceoque ſepultus:
Surgam ego; non ſurget, cum ſemel illa cadet.
Conſule de *Noſtro*, ſi lubet, KOENIGII *Biblioth. veterem & novam*: *Eliæ* EHINGERI *Catalogum Biblioth. Auguſtanæ*: JOECHERN in *Gelehrten-Lexicon*; qui tamen in eo magnopere errat, quod nomen DISTELMAYR fictitium eſſe, & ſub eo quendam *Jeſuitam Ingolſtadienſem* latuiſſe affirmat.

XVI.

Joannes Georgius a WERDENSTEIN nobiliſſima *Sueviæ* proſapia ortus, Canonicus cathedralis *Auguſtanus* anno 1563. factus, ſupremam diem obiit anno 1609. (*a*). *Virum doctiſſimum* vocat *Andr. Felix* OEFELIUS (*b*), qui *Joannis Ebran de* WILDENBERG *Equitis aurati Chronicon Bavariæ* &c. *a Noſtro ſcitula & eleganti manu*, *ſive ad alium Codicem*, *ſive ex ingenio proprio* (ut magis viſum OEFELIO eſt) correctum atque emendatum publicæ luci dare non dubitavit, monens inſuper: „ *Codicem manuſcriptum* hujus *Chronici* in *Bavaricam* Bibliothecam „ una cum reliqua Bibliotheca *Werdenſteiniana* illatum fuiſſe: quam *regiam prope ſuppellectilem litterariam Albertus V.* Bibliothecæ *Bavaricæ* conditor, una cum *Schedeliana*, *Herwartiana*, *Widmeſtadiana* & *Fuggeriana* aliisque magno ære paravit, *erogandæ per honeſta pecuniæ cupiens.* “

(*a*) V. KHAMMII *Hierarch. Auguſt. P. I. p.* 603.
(*b*) Vide Ejus *Scriptores Rer. Boicar. T. I. p.* 301. *ſeqq.*

Hiſce, *Lector bone!* Appendicem ad Vitas Epiſcoporum, *ſuperius* pag. 143. *ex temporis ordine memoratorum finio*, *ſpe fretus*, *illam*, *quod Res geſtas horum Præſulum*, *præcipue* Chriſtophori a STADION, & Othonis TRUCHSESSII, *per hactenus allata plurimum illuſtret,tibi magnæ voluptati fore.* S. U-

S. UDALRICUS Epiſcopus.

De *S.* UDALRICO, verius VODALRICO (*a*) tam multa tamque præclara (*b*) ſcripta ſunt : tam nomen

(*a*) Verum nomen *Sancto* noſtro VODALRICUS fuit. Ita habet *Charta*, Campidonenſis Monaſterii, de qua inferius inter Scripta *Noſtri* dicetur : Ita teſtatur antiquiſſimus *Vitæ* ejus Scriptor GERHARDUS, apud *Marc.* VELSERUM, *Opp. pag.* 516. Ita inſculptum legi *antiquæ cupreæ ciſtæ*. in qua ſacra ejus lipſana recondita ſervantur : Ita in Codicibus MSStis Bibliothecæ monaſterii *San - Udalricani*, *Auguſtæ*, adhuc ſub initia ſæculi XVI. ſcriptum repperi. Derivatur autem ex theotiſco *Alt - Vodal*, hæreditas a proavis relicta. & *Ric*, dives ; ac ſi dicas *hæreditatem divitem* a Majoribus nactus. Reliqua *Noſtro*, vel oſcitantia vel ignorantia Scriptorum (Vide FABRICII *Biblioth. med. & infimæ Latinit. Edit. Manſianæ. Lib. VIII. p.* 305.) tributa nomina nihil moror. Quamvis autem *Vodalricus* verum nomen *Noſtro* fuerit, tamen ego, morem receptum ſequens, per contextum *Udalricum* vocabo.

(*b*) Inter veteres Scriptores habemus non paucos, qui Vitam *Sancti* noſtri litteris traditam reliquerunt.

I. GERHARDUS. Sic vocat *Jo.* MABILLONIUS in *Actis SS. Ord. S. Bened. T. VII. p.* 413. illum *Anonymum*, antiquiſſimum Scriptorem *Vitæ S. Udalrici*, quam primus dedit *Marc.* VELSERUS in Libro : *De Vita S. Udalrici. Pleraque hactenus nunquam edita.* in 4to. Nititur autem MABILLONIUS vetuſto Codice *Ratisbonenſis* Monaſterii ad *S. Emmeramum*, ſcripto (ut ait) ante 500. annos ; in quo hæc *Vita* occurrit titulo ſequenti : *In nomine Domini incipit Vita S. Udalrici epiſcopi & confeſſoris Chriſti*, *edita a* Gerhardo, *qui ab eo fuit presbyter ordinatus.* MABILLONII obſervationem approbant *PP. Bollandiſtæ* in *Actis SS. menſ. Jul. T. II. p.* 96. & *Jo. Alb.* FABRICIUS in *Bibl. med. & inf. Latinit.* v. *Gerardus.* Fuit autem GERHARDUS iſte *presbyteris Auguſtanus*, & (ſi *M.* VELSERO credimus) *Congregationis S. Afræ* (Nam illud Collegium, ante introductam S. Benedicti familiam, ita appellabatur) *Præfectus.* Patrocinantur huic ſententiæ, quæ KHAMMIUS in *Hierarch. Auguſt. P. I.*

p. 5.4.

men ejus, fama, ſanctitas, ac merita toto orbe chriſtiano inclaruerunt, ut in illius *Vita* deſcribenda breviori eſſe oppido liceat.

Age-

p. 524. & 574. de *Kerhardo* memorat, qui anno 960. *Canonicus Auguſtanus*, anno 986. *Eccleſiæ Marianæ & Afranæ Præpoſitus* fuerit: item quæ *Sigiſmundus* MAYSTERLINUS in *Chronico eccleſiaſt. Auguſtan.* tradit: *Vitam*, de qua quæritur, *a quodam Sacerdote S. Udalrico familiari, poſt Præpoſito S. Mariæ* ſcriptum eſſe. Scripſit dein GERHARDUS hanc *Vitam* ſtatim a morte *S. Udalrici*, anno vigeſimo nondum elapſo, ſtylo rudi quidem ac barbaro, attamen veritatis tenaci, ob hoc maxime æſtimatus, quod Epiſcopo *Udalrico* viventi ac morienti præſens, individuus usquequaque comes hæſerit. Habes, Lector! *Vitam* hanc in mox citato VELSERI *Opere*: item in Collectione *Operum* Ejusdem, *Norimbergæ* in *folio* edita: in *Jo.* MABILLONII mox laudatis *Actis Sanct*: & apud SURIUM, *Editione III. Vitarum Sanctorum*: in *Actis SS. Bollandianis* mox allegatis.

II. GEBEHARDUS vel *Gebhardus* Comes *de Ammerthal*. Hic cathedralis Eccleſiæ *Canonicus* anno 950. *Præpoſitus* anno 960. poſtmodum *Monachus Elvacenſis*, & *Abbas* anno 990. omnium votis expetitus, poſt *Liutolphum*, ad *epiſcopatum Auguſtanum*, licet invitus, evectus eſt. Cum *Vitam S. Udalrici*, ſuperius memoratam, ſimplici ſtylo ſcriptam legiſſet, eam novo orationis genere expolire aggreſſus eſt; ſed morte præreptus perficere haud potuit: quod oppido dolendum. Neque enim dubium eſt, quin optima in medium prolaturus fuiſſet; cum prius ſancti Epiſcopi noſtri *Sacellanus* fuerit & *Advocatus*, præſertim in Concilio *Ingelheimenſi*, anno 972. habito. Lucubrationis *Gebehardianæ*, quæ ſuperant, habes in *M.* VELSERI *De Vita S. Udalrici. Plerisque &c.* & in Collect. *Operum* Ejusdem: item in MABILLONII *Actis SS. Ord. S. Bened.* ſaltem ex parte. De hoc *Gebehardo* præterea annotandum eſt, eidem a MABILLONIO *Analectorum p.* 106. *Libellum in locum Porphyrii* (attamen ſub dubio) tribui; quod in medio relinquo. Reliqua Epiſcopi hujus geſta invenies deſcripta apud STENGELIUM & KHAMMIUM.

Agebatur annus a reparata ſalute nonageſimus ſupra octingenteſimum, cum *S.* UDALRICUS, in hanc lucem editus eſt (*c*) patre *Hubaldo* Comite *Kyburgi*, *Dillingæ* ac *Wittislingæ*: matre *Thietpurga*, Ducis *Suevorum*, *Burcardi*, filia; ambobus generis claritudinem virtutis ſplendore illuſtriorem reddentibus. Ab his ſollicite educatus, poſita prætexta, cænobio *S. Galli* (*) oblatus eſt: in quo a *Wanningo*, eximiæ doctrinæ monacho, in Grammaticis, ab *Hartmanno juniore* vero in ſacris Litteris liberaliter inſtitutus eſt, & ſecuturæ ſanctitatis tyrocinium poſuit. *Wiboradæ* quoque virginis ſanctiſſimæ magiſterio uſus, ejus ad virtutem monita ſemper avide imbibit, ob id eandem *nutricem ſuam* jam ſenex appellare ſolitus. Sic dum animum multiplici virtute, dum ingenium litteris & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudiis egregie excolit, vitæ monaſticæ amplectendæ, ultro ad eam a Religioſis invitatus, cogitationem ſuſcepit; ſed a mox memo-

rata

III. BERNO Abbas *Augienſis*, qui *Fridebaldo* Abbate *San - Udalricano* petente idem, quod *Gebehardus* inſtituerat, ſuſcepit, & primam *Vitam S. Udalrici* cultiori ſtylo efformavit. Habes laborem *Bernonis* in iisdem *Operibus*, quæ *No. II.* citavi, & apud SURIUM. Ceterum de *Bernone* pluribus hic agere non attinet. Multa quoque de *Sancto* noſtro annotavit *Ekkehardus junior*. Hæc de vetuſtis & ex parte ſynchronis Scriptoribus ſufficiant.

(*c*) De loco nativitatis *S. Udalrici* habes conjecturas *Car.* STENGELII in *Commentar. Rer. Auguſt. p.* 96. Confer *Ejusdem Chronicon eccleſ. Auguſt.* vernacula lingua ſcriptum: item *Acta Bollandiana*, *l. c.*

(*) Quantum per ea tempora *Schola San - Gallenſis* & in ea litteræ, etiam *Grææ*, floruerint: quantosque magiſtros illa aluerit, docet *Hiſtoria literaria Ord. S. Benedicti*, cura *Magn.* ZIEGELBAUER & *Oliv.* LEGIPONTII edita *T. I. p.* 210. *ſeqq.*

rata Moniali piiſſima, *Wiborada*, vate certiſſima edoctus, ſe ad altiora, mitramque epiſcopalem a Domino deſtinatum eſſe, eo conſilio dimiſſo domum & ad parentes redivit: a quibus *S. Adalberoni*, de quo in capite hujus *Alphabeti* dixi, epiſcopo *Auguſtano*, conſanguineo ſuo, impenſe commendatus *Camerarium* ejus aliquamdiu *Auguſtæ* egit, ita ut ſub tanti Magiſtri diſciplina de virtute in virtutem proficeret, omniumque jam tunc oculos admirationemque in ſeſe converteret.

Interea pia *Romæ* viſendæ cupido animum *Sancti* inceſſit; cui ut ſatis faceret, illuc profectus loca ſacra ſumma devotione obit, admiſſus quoque per id temporis ad alloquium *Marini*, Viri prophetiæ dono inſignis, poſtea ſummi Pontificis, qui *Noſtrum* ſecundo loco de deſtinata divinitus epiſcopali dignitate vaticinando admonuit. Hæc dum geruntur, *S. Adalbero* epiſcopus *Auguſtanus* diem ſuum obit: cui ſucceſſor uno omnium calculo *Noſter*, adhuc *Romæ* commorans, deſignatur. At is honorem hunc ſummis precibus tum deprecatus eſt, tum fugiendo declinavit. Profuit quidem hæc fuga *Noſtro* hactenus, ne *Adalberoni* ſuccederet, cui *Hiltinus* ſuffectus fuit: verum *Hiltino* e vivis ſublato, eum prævalente divini conſilii potentia, mirandus utriusque Ordinis conſenſus, & *Henrici*, Romanorum Cæſaris, auctoritas, utut invitum, anno poſt Chriſtum natum DCCCCXXIII. in ſolio epiſcopali *Auguſtano* collocarunt; quod, non implens ſolum omnium ſed & ſuperans de ſe exſpectationem, cunctis antiſtite ſacro dignis virtutibus, mirum! quantum illuſtravit.

Quæ ſanctus UDALRICUS, epiſcopali honore auctus, pro animarum ſibi concreditarum ſalute,

pro dioeceſis ſibi commiſſæ emolumento, pro divinæ gloriæ amplificatione, pro moribus Cleri ac Populi reformandis egregie laudabiliterque geſſit, referre ſingula minutatim, tum longum nimis, tum ſupervacuum foret; cum Chronographi *Auguſtani* uti STENGELIUS, KHAMMIUS, & præcipue tres *Vitæ Noſtri* Scriptores vetuſtiſſimi, de quibus ſuperius in *Nota* (*b*) memini, & quorum ipſiſſima verba utplurimum interponam, fuſo hæc calamo perſcripſerint. Ob eam rem præſtantiora facinorum a *Sancto* noſtro præclare patratorum narraſſe ſatis habebo, de reliquis, Lectores meos obſecrans, ut (ſi quidem velint) mox indicatos Auctores conſulant.

Dura ſatis ac periculoſiſſima *Noſtro* fuere epiſcopatus initia; namque is annis 923. & 924. *Ungaris Alemaniam* & *Bavariam* fœdiſſimum in modum populantibus, cunctaque armis & igni miſcentibus, *Auguſtanam* quoque urbem obſideri vidit: In hoc rerum triſtiſſimo ſtatu inſolenti ſtratagemate uſus *S. Udalricus*, infantes in cunis vagientes, aut ab uberibus matrum pendentes tota comportari urbe juſſit, ſparſosque per ſacram ædem nuda in humo triſte ſpectaculum Superis objecit: quorum illi tum lacrymis, tum ſacri Antiſtitis precibus expugnati, barbaros a patriis muris benigne averterunt. Eodem tempore *Arnulphus* Dux *Boiorum*, quaſi nobilitati & viris militaribus ſtipendia ex opibus Deo ſacris numeraſſet, gravi paſſim infamia laborabat, idcirco etiam a poſteris *Mali* cognomine appellatus (*d*). Hujus correcti & in alium virum mutati

(*d*) *Arnulphi* hujus cauſſam defendit *A.* CANDLER *Auguſtinianus*, edito libello: *Arnulphus male* Malus *cognominatus.* in 4to. *Monachii.* 1735. in quo tamen eundem de invaſione bonorum eccleſiaſticorum non penitus purgat.

tati laus *ſancto* epiſcopo *noſtro* adſcribitur, quo cum illud ævum ſanctiorem non haberet, virtutumque fama ingentem ei auctoritatem peperiſſet mirandis oſtentis, quæ illi divinitus objiciebantur, confirmatam, magna non ſolum libertate Principes ſui officii admonebat, ſed orationis ſuada etiam repugnantes in ſententiam pertrahebat.

Circa annum 931. habitæ in *Altheim* Synodo interfuit *Sanctus* noſter, atque ſubſcripſit. Agebatur autem in ea præcipue *de Epiſcopis, Presbyteris & Clericis, ſi hæreditatem a Domino Rege, vel ab alio Principe, vel Amico ſuo, ſeu per hæreditariam ſortem ſibi devenerit, vel acquiſierunt, donare eis liceat hanc, cui voluerint, dum vivunt; pro remedio animæ ad eccleſiam, quamcunque elegerint; vel conſanguineis ſuis vel amicis. Sin autem antea obierint, quam firmiter perfecerint, altari, cui ſerviunt, omnia perpetuo ſanctificentur & in jus tradantur* (*e*).

Anno 935. cum *Notingus* epiſcopus *Conſtantienſis* naturæ debitum moriendo ſolviſſet, noſter maxime *Sanctus* id egit, ut in demortui locum *S. Conradus*, vir ſua virtute notiſſimus, ſuccederet.

Tredecim annis poſt, ſcilicet anno 948. *S.* Udalricus Synodum *Engilenheimenſem* (Ingelheim) cui ipſe *Otho M.* Imperator, & *Ludovicus* Rex *Galliarum* intererat: & in qua, ſanctioribus cauſſis agitatis, etiam de auxiliis *Ludovico* regi contra *Hugonem* Comitem ferendis actum eſt, ſua præſentia honeſtavit (*f*).

O 3 Uti

(*e*) V. Labbei & Cossartii *Concilia. Venetiis. T. XI. p.* 805. *ſeqq.*

(*f*) Vide *ibidem*, *p.* 849.

Uti vero *Sanctus* noſter gratia, qua apud *Henricum* Cæſarem plurimum valuit, etiam apud filium ejus *Othonem M.* maxime pollebat, adeo ut *in omnibus negotiis, etiam ſecretioribus, & cum eo, & conſiliis fidiſſimis præſto* ei *ſemper* eſſet; ita etiam eidem in *Italiam*, pacis reſtituendæ ergo, anno 951. cum exercitu proficiſcenti comes ire promeruit, eundemque ſequenti anno 952. primo vere in *Burgundiam* properantem eſt conſecutus. Mox memorato anno cum idem glorioſiſſimus Imperator *ſub diem* 7. *Auguſti Placitum, Conventumque ſynodalem Auguſtæ fieri decreviſſet, quatenus* (*concordi diligentia tam ſancti cleri, quam populi*) *Eccleſiæ ſtabilitatis profectus, & totius Chriſtianitatis utilitates tractarentur*, in eo ſacro Congreſſu una cum plurimis *Italiæ*, *Galliæ*, *Germaniæ* archiepiſcopis & epiſcopis partem magnam *Sanctus* noſter rurſus habuit (*g*).

Non ita multo poſt grave bellum *Germaniam* turbare coepit, *Ludolpho* filio, cum aliis Principibus, quos in ſuas partes traxerat, contra *Othonem* patrem inſurgente. Eo tempore unus, quod conſtet, ex ſacrorum antiſtitum numero, *Sanctus* noſter meliorem cauſſam etiam cum vitæ periculo tuendam ſuſcepit, & *Auguſta* militari præſidio munita ad Imperatorem in caſtra contendit; cujus diſceſſu explorato *Arnulphus*, *Arnulphi* ſuperius memorati filius, in agrum *Auguſtanum* movens ſacra profanaque populatus eſt, ingentes undique prædas agens, quarum diſpenſatione plures ineſcati firmandæ *Ludolphi* factioni acceſſerunt: Præterea *Sanctum* noſtrum non habentem, cui ſatis confideret, atque ob id in caſtrum *Menchinganum* ſe recipien-

(*g*) Vide *ibidem. p.* 865.

pientem dura obſidione preſſit, at non oppreſſit; namque ab *Adelberto* Comite *Marckthalenſi* & *Theobaldo* Præſulis noſtri fratre, cum inſtructis copiis, in obſeſſi auxilium tempore venientibus cæſus turpi fuga ſalutem quærere coactus eſt. Præſentiſſimo diſcrimini ereptus *S.* UDALRICUS *Adelberti* ex levi ad ſpeciem vulnere, quo in pugna perſtrictus fuerat, brevi poſt decedentis exuvias in æde *D. Virginis* tumulo mæſtus condidit: *ſpiritum* vero, ut *Berno* ait, *per ſacræ immolationis hoſtiam Domino commendavit.*

Arnulphi fugam paulo poſt etiam in acie concidentis mors excepit. *Ludolphus* vero ad *Ilaram* amnem, haud procul *Tyſſa* (*Illertyſſen*) vico, communitis caſtris conſedit: Hunc expugnaturus *Otho* pater exercitum admoverat, jamque res in eo erat, ut ambæ acies hoſtili invicem impetu concurrerent; cum *S.* UDALRICUS, & *Hartbertus Curienſis* epiſcopus ſupervenientes, interque infeſtas progreſſi cohortes nefarium execrari bellum: auctoritate ſua, qua plurimum pollebant, juxta ac eloquentia furentium condere gladios: a *Ludolpho* impetrare, ut iniquas iras patri patriæque remitteret: & præparatis hoc modo ad concordiam animis pacem patrem inter ac filium felici ſucceſſu conciliare.

Reſtabant *Ungari*, formidandum illa ætate orbi chriſtiano nomen: qui a *Ludolpho* & perduellionis ſocio *Conrado*, Duce *Lotharingiæ* (ut primæ iræ inſaniunt maxime) anno 952. in Germaniam acciti, ducibusque a *Ludolpho* acceptis, excurſione in *Galliam* facta omnia rapinis, cædibns, & incendiis deſædarant: jam vero caſtris ad *Auguſtam* poſitis, eam urbem oppugnare aggreſſi fue-

 rant,

rant. Ibat tum annus a Chriſto nato DCCCCLV. clariſſima victoria, quam plura retro ſæcula non viderant, nobilitandus, qua hoſtium barbara crudelitas oppreſſa penitus ac vindicata fuit. Occurrit eis *Otho* Imperator valida quidem, ſed non magna *Saxonum* copia ſtipatus, receptisque *Boiorum*, *Francorum* & *Suevorum* auxiliis arma conferens eos ad internecionem usque, divina maxime adjutus ope, cecîdit. Aiunt, fluvium *Lycum*, urbi vicinum, corruentium ſtruem attonitum ſtupuiſſe, nec ſeſe volvendis cadaveribus parem ſenſiſſe amplius. Pugnatum eſt a primo diluculo ad veſperâm usque omnibus opibus ac viribus; eodemque die etiam caſtra capta ſunt omni opulentia referta.

Inſignis hujus victoriæ, non tam humano quam divino auxilio contra innumerabilem hoſtium exercitum partæ, laus permagna ad *S.* UDALRICUM noſtrum, quem multo ante cælitum indicio ingruentis belli tempeſtatem, ſtationes hoſtium, proſpera & adverſa utriusque partis edoctum fuiſſe Scriptores narrant, rediit; at ſimul & dolor multus. Etenim inter alios proceres *Theobaldum* fratrem ſuum, *Reginbaldum* quoque ejusdem ſorore natum, tum etiam *Starchandum*, epiſcopum *Eichſtettenſem*, amicorum facile principem & *mortalium*, ut ipſe profeſſus eſt, *ſibi chariſſimum* in prælio trucidatos luxit. Et hujus quidem poſtremi cadaver, ad ſedem propriam revectum, tumulo honorifice condidit, extremo humanitatis officio amicum ſtudioſe proſecutus.

Tanta autem dilectione (GASSARI verbis utor) *civitatem Auguſtam, poſtquam humilia ejus moenia orationibus jejuniisque potius miraculoſe, quam præſidiorum telis fortiter defendiſſet, amplexus eſt S.* U-

DAL-

DALRICUS, ut anno 956. *S. Joannis* ædem a ſe extructam in parochiam erexerit : *S. Afræ* templum, ab Ungaris exuſtum, reſtaurarit, in eo etiam ſepulchrum ſibi eligens : *S. Stephani* Eccleſiam in eo loco, ubi *Ungari* cæſi ſunt, aut (ut alii tradunt) ubi *Theobaldus* ipſius frater ceciderat, anno 964. noviter extruxerit, adjuncto monaſterio ſacrarum Virginum Regulæ *S. Benedicti* addictarum primitus, (poſtea in Collegium nobilium *Canoniſſarum* mutato) cui primam Abbatiſſam *Eleuſiniam, Elſiniam*, *Eliſabetham* ſororem, aut (ſecundum alios) cognatam ſuam præfecit.

Sed a rebus domeſticis ad exteras pergamus! Cum *Hungarorum* iterata invaſio triſtiſſimas per Diœceſin clades edidiſſet, his reparandis animum intendit *ſanctus Epiſcopus*. Monaſterium *Benedicto - buranum* devaſtatum penitus per *Wolfoldum* Archipresbyterum e ruinis excitavit. Cænobii *Campidonenſis* ab *Hungaris* everſi & flammis deleti, a *Ludovico de* RAUNS Abbate morti proximo exoratus, adminiſtrationem in ſe ſuſcepit, eidemque e cineribus reſuſcitato poſt viginti & unius annorum intervallum Abbatem *Alexandrum Fordreſſer ab* ECK, Virum laudatiſſimum, præfecit. Multas alias ædes ſacras deuſtas aut ruinæ proximas ære ſuo reſtauravit. Sacrorum miniſtros hinc inde palantes & extremæ fami conflictantes, ubi paululum ab ærumnis reſpirarat, collectos farre domeſtico aluit. Subditis egentibus annona ſuccurrit. *Ottoburano* quoque Aſceterio ſeſe beneficentiſſimum exhibuit, dum ei poſt duorum menſium, quibus huic familiæ qua *Abbas* præfuit, ſpatium *liberam Abbatis eligendi facultatem* reſtituit, commendato in Abbatem *Radungo* (primum Canonico *Augusta-*

guſtano , dein Monacho *Ottoburano*) ac confirmato. Sic nimirum *ſanctus Epiſcopus* univerſæ Dioeceſis inter pericula tutorem , inter minitantes ruinas columen , inter tempeſtates conſtantiſſimum gubernatorem ſeſe oſtendit.

Anno poſt reparatam a Chriſto ſalutem 964. *Otho* Imperator, agens in *Italia*, ſubito in *Germaniam* pro exercitus ſupplemento miſit , totoque Imperio frequentiſſimum militem ſcribi imperavit. Advenere in Urbem ex utroque ordine plurimi *Germaniæ* Principes viri , quos inter & *S.* UDALRICUS numerabatur ab Imperatore atque *Adelhaide* Imperatrice multa gratia magnoque honore exceptus , & impetrata ſuo ex ſorore nepoti *Adalberoni*, ſe mortuo , ſucceſſione in epiſcopatum , multis auri libris a Cæſare donatus.

Redux ex Italia cum filio ſuo *Othone II.* Imperator *Otho* I. anno 972. Synodum in *Engelenheim* (*Ingelheim*) ad res Eccleſiarum componendas per epiſcopos congregavit. In illa duæ præcipue res , quæ ad *Sanctum* noſtrum attinent , geſtæ. 1°. *Epiſcopus noſter* & *Adalbero* , de quo mox dictum , nepos ejus accuſati , ac ſi Canones violaſſent , dicta cauſſa & excuſata abſoluti ſunt. 2°. *Epiſcopus noſter* , poſtulans , ut relicto epiſcopatu ſibi ad monaſticam vitam (Hanc adamarat plurimum , *Regulam*que *S. Benedicti* tota vita , quantum fieri potuit , ſtudioſe obſervarat , quin imo habitu monachali indutus , ſeſe Patribus in hac *Synodo* ſtiterat) tranſeundi poteſtas daretur , repulſam tulit , communique judicio reſponſum accepit : „ nequaquam illud expedire , ne factum Viri „ ſanctiſſimi aliis peccandi occaſionem præbeat ; „ qui in gratiam ſuorum nepotum , quos vellent ,

„ iſta

„ iſta ratione Eccleſiis, non ſine gravi totius po-
„ puli detrimento, obtruderent (*h*). "

Et tum quidem *Adalbero*, approbante Patrum conſeſſu, ſucceſſor in epiſcopatu deſignatus eſt: *S.* UDALRICUS vero, conſilio eorundem obtemperans, *Auguſtam*que reverſus aliquot menſibus elapſis & hunc Nepotem ſuum, ex venæ inciſione, per nocturnam quietem inopinata morte ſibi ereptum: & *Othonem I. cui ſemper fidem in omnibus ſervarat, cujus etiam amor pectori ejus firmiter conglutinatus fuerat*, fatis ſublatum planxit, brevique ipſemet moriendo inſecutus eſt.

Obdormivit autem *Sanctus* noſter in Domino, viribus plane exhauſtus, annis effoetus, at meritorum dives, dierum plenus, in vita & poſt mortem plurimis miraculis clarus, ſub *Othone II.* anno reparatæ ſalutis 973. die 4. Julii; ætatis anno 83. cum epiſcopatui *Auguſtano* 50. annis præfuiſſet. Corpus exanime a *S. Wolfgango* Epiſcopo *Ratisbonenſi*, quem anno 968. *Einſidlæ* tum vitæ monaſticæ deditum *Sanctus* noſter ſacris initiarat Ordinibus, in conditorium, quod (ut ſupra memoravi) in Baſilica *S. Afræ* ſibi is vivus ſtruxerat, intulit.

Pauca hæc ex plurimis narranda duxi, Lector! nam omnia & ſingula referre tum hujus libelli anguſtiæ non ſinunt, tum etiam ſupervacaneum fore deputo; quod prolixam horum omnium narrationem apud citatos a me Auctores invenire facile ſit cuivis, iſta diſtinctius cognoſcere aventi. Sileo itaque virtutes ejus, caſtimoniam, paupertatem, orationis ſtudium, vitæ aſperitatem, animarum zelum &c. Sileo viſiones cælitus ei obla-
tas.

(*h*) Vide LABBAEI & COSSARTII *Concil. T. XI. p.* 950.

tas. Sileo miracula vel ab ipſo, dum viveret patrata, vel ejus in cælum ſublati precibus effecta. Sileo Canonizationem ejus a *Luitolpho* ſucceſſore, Epiſcopo *Auguſtano*, viginti ab obitu *Noſtri* annis, *Romæ* in publica Synodo, ſub *Joanne* Papa ſanctiſſimo, impetratam. Sileo Translationes ſacrarum Reliquiarum ejus, unam a *Friderico I.* Imperatore anno 1187. alteram a *Joſepho* Epiſcopo *Auguſtano*, ex Landgraviis *Haſſiæ* orto, noſtra ætate, ambas maxima cum ſolennitate factas. Sileo encomia, quibus virtus ac ſanctitas *Epiſcopi* noſtri paſſim a Scriptoribus tum antiquis tum recentioribus deprædicata fuit.

Eas autem laudes, quibus doctrina *Sancti* noſtri aſſeritur ac vindicatur, ſtudioſius colligendas mihi duco. GERHARDUS, Scriptor *Vitæ* antiquiſſimus ac ſynchronus, primas habeat. Is *capite I.* teſtare non omiſit: *Parentes tractaviſſe invicem, ubi vitam religioſiſſimam & docendi* ſtudioſiſſimam *invenire filio poſſent: acceptoque conſilio ad S. Galli cœnobium natum commendaſſe; quia ibi nobilium Dei Servorum multitudo & religioſitas*, diſcendi docendique ſtudium *tum temporis habebatur: commendatum vero.. viro Grammaticæ artis edocto Waningo.. fuiſſe; a quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit & in intimis ſui cordis inſeruit, adeo ut paulatim fratres in eo* doctrinæ fructificationem nimis proficere *ſentirent.* Pergit deinde: *Noſtrum*, etſi monaſticæ vitæ amplectendæ conſilium ſuaſu *S. Wiboradæ* depoſuiſſet, *tamen diſcendi ſtudium non omiſiſſe, ſed duplici ſagina ſcientiæ ac religionis repletum ad parentes rediviſſe.* Idem poſtquam narraſſet: *Hiltino* epiſcopo *Auguſtano* fatis ſublato a *Burcardo* Duce aliiſque propinquis

Noſtrum

Noſtrum Henrico Imperatori præſentatum, ſupplicatumque fuiſſe, *ut poteſtas epiſcopalis ei concederetur*; addit: *Henricum Cæſarem herilitatem ſtaturæ Sancti noſtri intuentem, comperientemque doctrinæ ejus ſcientiam aſſenſum præbuiſſe*, Idem *capite III.* teſtatur, *Sanctum* id curaſſe quam maxime, ut ſuus ex ſorore *Luitgarda* nepos *Adalbero*, litteris inſtrueretur: eundemque ab avunculo ſuo in hunc finem *cuidam doctiſſimo magiſtro* BENEDICTO *monacho ad erudiendum ſcientiam grammaticæ artis & aliorum librorum commendatum* fuiſſe. Parem ſollicitudinem *clericis ſuis ex familia, vel liberis, mediocribus vel nobilioribus*, impertitus eſt, quos *ſumma diligentia doceri præcepit*, inter plurima maximaque, quibus diſtrahebatur, negotia animum intendens, ut *res ſcholaſtica quam optime conſtituta eſſet.* Ipſe vero (ut idem Scriptor tradit) *ſemper aliquos ex ſuis presbyteris prudentiſſimos, & de vaſallis ſuis aliquos ſapientiſſimos ſecum habere voluit*, eorum conſortio plurimum delectatus. Quid, quòd ſapientiſſimi epiſcoporum, in Synodo *Ingelheimenſi* anno 972. congregatorum, *Noſtri* animo epiſcopatus dimittendi conſilium evellere ſtudentes, honorificis iſtis verbis eum compellare non dubitarint: *Reverende Pater! cui nota eſt omnium eccleſiaſticorum librorum normula &c.* Hactenus GERHARDUS. GERHARDO conſentiunt GEBEHARDUS & BERNO, quorum loca brevitatis cauſſa omitto. EKKEHARDUS autem (*) Monachus *San-Gallenſis* de *Noſtro* ait: *De Nobilibus.. natus, apud noſtrates educatus eſt & doctus... Hartmanni enim junioris diſcipulus,* divina præ omnibus, *Spiritu ſancto prælibatus hauſit.*

Vetu-

(*) In libro: *De Caſib. Monaſt. San-Gallenſ.*

Vetuſtiſſimis Scriptoribus ſuccedant recentiores. BRUSCHIUS (*i*) de *Noſtro* affirmat: *ejus* ſapientiam, doctrinam *ac virtutem ita placuiſſe Marino Pontifici maximo, ut ſtatim eum Adalberoni vellet in gubernatione epiſcopatus ſuccedere.* STENGELIUS (*k*) teſtatum reliquit: *Sanctum noſtrum in cœnobio S. Galli* cum in litteris, tum in eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudiis *mirifice profeciſſe.* BUCELINUS (*l*) in eandem ſententiam loquitur. KHAMMIUS (*m*) afferit: *eundem junioribus annis* tam litteris, *quam virtutibus animum mire excoluiſſe, cunctosque ſuos condiſcipulos vocis ſuavitate & humaniorum litterarum cognitione longe ſuperaſſe.* His concinit *Pantaleo* in *Proſopographia*, *T. II. p.* 52. & alii.

Verum quid in huiusmodi laudibus congerendis hæreo, & in re aperta prolixior ſum? Quare ad litteraria *Sancti* noſtri monumenta, quæ nobis ex tanta vetuſtate relicta ſunt, percenſenda tranſeo.

Scripta *S. Udalrici* vera, dubia, ſuppoſititia ſunt ſequentia

I. *Charta, qua Campidonenſi Monaſterio libertatem eligendi Abbatis reſtituit.* Incipit: „ Omnibus „ ſpem vitæ gerentibus & adhuc in poſterum naſ- „ centibus notum ſit, quod primo Othone princi- „ patum regni procurante ſanctiſſimæ memoriæ „ Vodalricus Auguſtenſis civitatis Epiſcopus Cam- „ pidonenſis Monaſterii ovile &c. &c. " Exhibet hanc *Chartam* MABILLONIUS in *Actis SS. Ord. S. Bened. T. VII. p.* 471. & ex hoc *PP. Bollandiſtæ*, *T. II. Julii*, *p.* 77.

II.

(*i*) In *Catal. Epiſcop. Auguſt.*
(*k*) In *Imaginibus SS. Ord. S. Bened.*
(*l*) In *Menologio Benedict.*
(*m*) In *Hierarch. Auguſt. T. I. p.* 128.

II. *Sermo ſynodalis parochianis Presbyteris in Synodis enuntiandus.* Hunc *Marcus* VELSERUS (*n*) in Codice Monaſterii *Neresheimenſis* inventum *S. Udalrico* adjudicat; „ propterea quod pleræque in- „ terrogationes, quas *Udalricus* Presbyteris in e- „ jusmodi Synodis facere ſolebat, iis interroga- „ tionibus, quas *Gerardus* (Hoc eum nomine compellat MABILLONIUS; uti ſupra diximus; etſi aliis *Anonymus* audiat) Scriptor *Vitæ S. Udalrici*, „ in *Cap. VI.* (*Qualiter Dioeceſin viſitavit*) addu- „ cit, reſpondeant: Præterea quia locus & tem- „ pus conveniunt." Aliter MABILLONIUS (*o*) & *PP. Bollandiſtæ* ſentiunt; quorum prior ait: *Dici poteſt id genus interrogationum capitula ab Udalrico accepta fuiſſe ex vulgari formula* Sermonis, *qui in hujusmodi Synodis haberi ſolebat. Et certe* idem Sermo, *paucis immutatis*, *Leoni Papæ IV. adſcribitur in Tomo VIII. Conciliorum* (puta *Edit. Pariſ.*) *col.* 35. (*p*) *Similis eſt idem Ratherii* Sermo ſynodicus in *Spicilegii* (D'*Acheryani*) *T. II. p.* 256. Poſteriores (*q*) poſt allatam VELSERI conjecturam, dicunt: *Interim valeat conjectura illa, quantum poteſt, nunquam tamen plus ponderis habitura eſt, quam quantum ſolet ineſſe opinationibus dubiis & incertis*: Et poſt adducta MABILLONII verba addunt: *quibus patet*,

(*n*) Viri hujus doctiſſimi *Vitam* deſcripſi in *Bibliotheca* meæ *Alphabeto II.*

(*o*) In *Actis SS. Ord. S. Bened. T. VII. p.* 416. Adde, ſimilem *Sermonem* inveniri quoque in *Sacerdotali Veneto* anno 1555. excuſo ſub titulo: *Quæ ſacerdotes ac clerici obſervare debeant, ex ſynodali admonitione compendioſe excerpta.*

(*p*) Ex Editione *Pariſina* tranſiit in *Venetam*, ubi habes *T. XI. p.* 1075.

(*q*) In *Actis Sanctorum*, *T. II. Julii*, *p.* 76.

patet, incertum fieri ſuperioris Inſtrumenti Auctorem. Fors poſthæc non inepte quis dixerit : *Sermonem* controverſum, generalem quandam orationis formulam fuiſſe, qua in Synodis uſi ſint Epiſcopi: quamque pro circumſtantiarum ratione quivis Epiſcopus & (quod conſequens eſſet) etiam *S. Udalricus* Eccleſiæ ſuæ accommodarit.

Miſit autem VELSERUS ad *Severinum* BINIUM iſtum *Sermonem*, qui eum ſecundæ ſuæ *Conciliorum* Collectioni inſeruit, *T. IX. p.* 803. Noviſſime illum, multis *Obſervationibus* interſtinctum, luci rurſus dedit RRmus *Joſ. Ant.* STEINER in *Synodali Auguſtano, p.* 25. additis *Ordine ad dandam pœnitentiam tempore S. Udalrici uſitato*: item *Ordine alio pœnitentiæ*, & *Canonibus pœnitentialibus Auguſtanis* (*r*); quæ omnia ex Codice MSSto Bibliothecæ cathedralis *Auguſtanæ* ad finem *Sæculi IX.* vel initia *X.* exarato, decerpſit.

III. *Sermo ad populum.* Occurrit is in *Vita Sancti* noſtri, a *Gerardo* ſuperius memorato conſcripta, *Cap. IX.* quod inſcribitur : *De multiplici ejus* (S. Udalrici) *admonitione &c. &c.* De hoc *Sermone* ait MABILLONIUS : *Alius Udalrici* Sermo ad populum *refertur in Vitæ Cap. IX. Bollandiſtæ* dicunt: *Alium, eumque certiorem S. Epiſcopi noſtri* Sermonem ad populum *exhibet Caput nonum antiquæ Vitæ.* De reliquo, quisquis hoc *Caput IX.* legerit, non tam *Sermonem unum* illo contineri, quam *ſuccinctam plurium Sermonum*, quibus S. Epiſcopus noſter plebem ſibi commiſſam ad vitæ probitatem inſtituit, *ſynopſin* comprehendi dicet: prout

(*r*) Ad hos *Canones* idem RRmus D. STEINER dedit *Fragmenta & Adnotationes* in *Actis ſelectis Eccleſiæ Auguſtenſis, p.* 11.

ut ipſa *Capitis* inſcriptio, ſupra allata, diſerte prodit.

IV. *Epiſtola de Vita Notingi Epiſcopi Conſtantienſis.* De hac *Melch. Haiminsf.* GOLDASTUS in *Scriptor. Rer. Alamann. T. II. p.* 265. dicit: *S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus fertur ſcripſiſſe Epiſtolam de Vita Notingi Epiſcopi, quæ extat Conſtantiæ in Bibliotheca cathedrali.*

V. Scriptis *S. Udalrici* jungenda eſt, aut (verius ut dicam) eorum e numero expungenda eſt *Epiſtola*, quæ ſub initia *Reformationis* (prout inſpicienti cuivis ex typis patet) in lucem prolata eſt, hoc titulo: *Epiſtola D. Hulderichi Auguſtenſis Epiſcopi adverſus Conſtitutionem de Cleri cœlibatu, plane referens apoſtolicum ſpiritum.* In fine legitur: *Inventa eſt hac Epiſtola in quadam Bibliotheca oppidi Veteris Aquæ, germanice Altwatter, in Hollandia, inferioris GermaniæProvincia (s). Germanice* prodiit hac inſcriptione: *St. Ulrichs des heil. Biſchofs verteutſchte chriſtliche Schrifft &c.* in 4to. *Hagenau, durch Thomam Anshelm.* 1521. Rurſus alia editio *germanica* ſine anni & loci indicio comparuit (*t*). Extat etiam *Argentinenſis* editio *germanica* anni 1521. (*u*). Antiquiores iſtas editiones ſecuta eſt *Wittebergenſis*, curante *Flacio Illyrico* (*x*) anni 1550. *Gryphiswaldenſis*, cura *Joann. Frid. Mayeri*, anni 1703. *Gedanenſis*, cura *Samuel. Schelwigii* anni 1706.

Præ-

(*s*) V. *Merckwürdigkeiten der Zapfiſchen Bibliothek. II. Stück. p.* 456.

(*t*) Duplicem hanc editionem *germanicam* affert *Catalog. Bibl. Bunav. T. III. p.* 1287.

(*u*) V. *J. A.* FABRICII *Biblioth. med. & inf. Latinit. Edit. Manſianæ, Venetiis. T. VI. p.* 285.

(*x*) Ex ſupradictis corrigendus *J. A.* FABRICIUS, qui *Flacium* primum hanc *Epiſtolam* protraxiſſe falſo monuit.

Præterea *Epiſtola* hæc variis Libris & Collectionibus inſerta repperitur; uti *Vitis RR. Pontificum Roberti* BARNS, *Wittebergæ.* 1536. excuſis: *Catalogo Teſtium veritatis*, FLACII *Illyrici* pluries impreſſo: Libro, *Antilogia Papæ*, inſcripto: *Actis & Monumentis Eccleſiæ*, *Joannis* FOXI: *Memorabilibus Lectionibus Joannis* WOLFII: *Chronico Abbatis Urſpergenſis*, in Appendice: *Operi de Conjugio Clericorum Georg.* CALIXTI, in Appendice: *Orthodoxographis Patrum*, anno 1555. & iterum anno 1569. excuſis: *Hiſtoriæ univerſali Zuerii* BOXHORNII: *Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum*. *Eduardi* BROWN, in Appendice. *Operi de S. Euchariſtia Guil.* MORNAEI, ſaltem magna ex parte: *Corpori hiſtorico medii ævi Jo. Georg.* ECCARDI: *Collectioni ampliſſimæ veterum Scriptorum &c. Edmundi* MARTENE. Libro *Georg. Mich.* PREU inſcripto: *Licht ohne Schatten*, *p.* 1691. 1809.

Hucusque de Editionibus vidimus. Videamus modo de Auctore. Eruditorum alii hanc Epiſtolam *S. Udalrico* noſtro aſſerere conati ſunt. Contra alii ejus Auctorem, *S. Udalricum* eſſe, pernegant. 1o. Fautores hujus *Epiſtolæ* auctoritatem ei conciliare ſtudent ex *Aeneæ Sylvii Apologia ad Mayerum*, quaſi is ſcripſerit: *Nicolaum pontificem ab Udalrico reprehenſum de concubinis.* 2o. Citant *Bertoldum Conſtantienſem*, qui circa annum 1100. ſcripſit, in *Appendice* ad *Hermannum Contractum* ad annum 1059. apud URSTISIUM, *T. I. p.* 349. dicentem: *In Synodo Romæ menſe Februario Gregorius VII. Presbyteros deinceps in fornicationem lapſos absque ſpe temperationis depoſuit, & Scriptum, quod dicitur* ſancti Udalrici ad Papam Nicolaum de nuptiis Presbyterorum, *& Capitulum Paphnutii de eadem re, imo omnia ſacris Canonibus adverſa damnavit.*

Primæ

Primæ objectioni reſpondet *Marcus* VELSERUS (*y*) his verbis : *Scio impuram, neſcio cujus nebulonis, Epiſtolam, Udalrici aliquando nomine venditatam. Sed cum ea Nicolao Pontifici inſcripta ſit : Nicolaus autem primus plusquam* 20. *annis, ante Udalricum natum, fuerit mortuus ; ſecundus pontificatum octogeſimo & quod excurrit anno, poſt eum mortuum, inierit, ferrei ſit oris oportet, qui tantum mendacium auſit aſſerere : plumbei cordis, cui poſſit imponere. At Aeneæ Sylvii auctoritatem objiciunt, qui Pontificem ad Udalrico* de Concubinis *reprehenſum ſcripſit. Primo vacillans illa lectio ; neque omnium Codicum fides hæc verba tuetur* (*z*) : *deinde, ut genuina ſint, malitia intellectum ejus valde mutaverit, neceſſe eſt, qui ad impudentem Epiſtolam, quam ad inſignem puritatis & caſtimoniæ laudem, qua Udalricus per omnem vitam clarus habitus, referre malit.* VELSERI judicium adoptant MABILLONIUS & *Bollandiſtæ*, adjicientes ſequentia : *Adde, quod vetuſtiſſimus Vitæ Scriptor nullam prætenſæ reprehenſionis mentionem faciat ; adeoque in nullo ſolido teſtimonio antiquitatis ſcriptio hæc, de qua quærimus, fundari poſſit. Ceterum non ignoramus, ſæpe laudatum Velſerum afferre congruentias aliquot, quibus tanquam veroſimile ſuaderi utcunque poſſe arbitratur, hanc reprehenſionem ab Udalrico factam eſſe Joanni XII. eoque ſpectare verba Aeneæ, ſiquidem is ea unquam ſcripſerit.*

Quid agunt fautores controverſæ *Epiſtolæ*? Cum graviſſimum ac ſolidiſſimum *Velſeri* ex chronotaxi petitum argumentum nullo modo convelli poſſe ſentiant, alium ponunt *Udalricum*, qui *Noſtrum* ætate & regimine anteceſſerit temporibusque *Nicolai I.* vixe-

P 2

(*y*) In Præfatione ad librum : *De Vita S. Udalrici alteraque hactenus nunquam edita.*

(*z*) Deſiderantur illa in Editione *Romana*, anni 1584.

vixerit. Hunc *Udalricum I.* dicunt: Noſtrum *Udalricum II.* faciunt. Poſſem hic quidem quieſcere, nec longius ire; cum, hoc conceſſo, jam non de *S. Udalrico* noſtro, de quo mihi ſermo eſt, ſed de alio diſceptetur. Verum non abs re erit, nonnulla de hoc (ut aiunt) *Udalrico I.* adjicere.

Huic applicant Adverſarii ſuperius citata *Bertholdi* verba; parum tamen promovent. *Primo* enim ipſi vix ſciunt, quomodo hujus *Udalrici I.* nomen bene efferant. Vocant eum *Adelgerum Olgerum*, *Udalgerum*; At quis permagnum diſcrimen inter hæc nomina, & inter nomen *Udalricus* non videt? Deinde *Adelgerus, Olgerus, Udalgerus*, aut (ut Adverſarii eum nominant) *Udalricus I.* valde dubius eſt, neque hactenus in ſeriem Epiſcoporum *Auguſtanorum* bene admiſſus. STENGELIUS (*a*) eum omnino non commemorat: KHAMMIUS (*b*) eum *incertum* eſſe dicit, nec, niſi aliorum ex fide ac mente, commemorat, addens: *Adelgerus ſucceſſit antiſtiti Walthero... Obiit anno 864. Sub epiſcopo Adelgero, aliis Olgero ſeu Udalgero multa acta & facta heretici ſingunt. Aſt ego eorum fictiones ac fabulas, ceu cramben iterato coctam, relinquo intactas.* Denique *Adelgerus*, *Olgerus*, *Udalgerus* nullibi nomine

(*a*) In *Commentario Rerum Auguſtanarum.*

(*b*) In *Hierarch. Auguſt. P. I. cathedr. p.*106. & in *Indice Capitum.* Confer *Pauli a* STETTEN *Hiſtorie der Stadt Augſpurg, T. I. p.* 43. De hoc *Udalgero* ait GASSARUS in *Annal. Augſtburg.* inter *Menckenii Script. T. I. p.* 1369. *Cum primis autem Nicolai I... decreto, quo is ſacerdotum connubia per Germaniam prohibebat, canonica epiſtola viriliter reſtitit. Ea Epiſtola hodie S. Udalrychi nomine perperam circumfertur.* Interim tamen idem GASSARUS, ſecum ipſe pugnans, etiam de *S. Udalrico* noſtro narrat, ſed non probat: eum Romanis Pontificibus de Cælibatu clericorum, uti etiam de Delectu ciborum, ab iisdem Pontificibus imperato, non ſtatim acquieviſſe. Mera commenta!

mine *Udalrici* vocatur, nec etiam ullibi *ſanctus* audit. Contra *Bertholdi* vero teſtimonium ſequentibus excipit *Jo. Dom.* MANSIUS (*c*):

Principio Bibliothecarius ait: immerito negari, Udalricum ſub Nicolao I. Pontifice Romano Auguſtanam cathedram tenuiſſe; demonſtratum enim ait a Fabricio Bibl. med. & inf. Latinit. l. 8. Udalricum quendam tunc reipſa Auguſtanis ſacris præfuiſſe. Verum nihil habet Fabricius, quæ fidem extorqueant. Unum affert Bertholdi Conſtantienſis, qui ſub exordium Sæculi XII. ſcribebat, teſtimonium. Idoneum profecto teſtem de re ante tercentos fere annos geſta! In regeſto Epiſtolarum Nicolai Papæ I. nulla legitur Epiſtola ad Udalricum Auguſtanum; nulla etiam mentio de conjugio clericis concedendo; nec quidquam mutit idem Pontifex de hac re ſibi ab orthodoxo aliquo epiſcopo propoſita. Ingeres: *Hæc tanta non ſunt, ut plane demonſtrent, nullum ſub Papa Nicolao I. extitiſſe Auguſtanum Epiſcopum Udalricum, qui cum eodem Pontifice conqueſtus de jugo continentiæ, immerito ſacris hominibus impoſito.* Regero: *Sed neque contrarium evincit Bertholdi auctoritas. Non abs re ſuſpicarer, Scriptorem hunc non aliunde, Udalricum Auguſtanum ſub Nicolao, niſi ex hac una Epiſtola noviſſe.* Hactenus MANSIUS. Ego (ut dicam, quod ſentio) *Bertholdum* de præſenti *Udalrico* noſtro ea, quæ monuit, ſcripſiſſe exiſtimo, cum diſerte dicat: *Sancti Udalrici;* quod Prædicatum *Udalrico I.* ſeu *Udalgero* nunquam tributum legimus. Inde tamen fama & ſanctitas *Epiſcopi noſtri* ne minimum quidem detrimentum patitur; nam, præterquam quod *S. Udalricus Nicolao I.* cujus nominis tum nullus vixit, ſcribere non potuerit; inſuper verba *Berthol-*

(*c*) In *Jo. Alb.* FABRICII Biblioth. med. & inf. Latinit. a ſe *cum additionibus* edita *Venetiis.* 1754. *Libr. VIII.* p. 305. & *Libr. XX.* p. 284. *ſeqq.*

di (ſi accuratius ponderentur) aliud quid, quam Adverſarii vellent, innuere, nec obſcure indicare videntur: jam illa ætate Viris emunctæ naris dolum aut fraudem aliquam ſuboluiſſe. Ait *Bertholdus*: *Scriptum quod dicitur S. Udalrici ad Nicolaum Papam &c.* Ecce non ait: *Scriptum ſancti Udalrici*, aut *quod eſt S. Udalrici;* ſed caute admodum: *quod dicitur;* quo verbo *ſuppoſititium quid* indigitatur. Sed ad MANSIUM redeo. Pergit ille in hæc verba: *De ſinceritate hujus Epiſtolæ inquirendum ſupereſt; Ego fictitiam judico, tum quod nonnulla contineat plane commentitia, ut illa de plus quam ſex millibus infantum in hortum projectis: hæc enim emunctæ naris Criticis fabellam redolent. Inſuper ex nullo certo argumento ſæculi IX. diſcimus agitatam tum fuiſſe quæſtionem de cœlibatu Sacerdotum. Synodi omnes tum habitæ, omnesque Nicolai Epiſtolæ in eo ſunt, ut cœlibes ſacerdotes velint, ac ſtatuant: cujus diſciplinæ cauſſa omne a ſacerdotibus mulierum contubernium ac conſuetudinem arcent.* Ulterius progreditur MANSIUS: *Ponamus tamen, ut verbis utar Bibliothecarii noſtri*, nunquam conceſſuri, *Epiſtolam hanc ab Udalrico Auguſtano epiſcopo ad Nicolaum I. datam. Nunquid propterea improbandus eſſet Latinorum clericorum cœlibatus? Non arbitror. Alvarus Pelagius, Guillelmus Mimatenſis Epiſcopus verſari ſe in ambiguo profitentur, num præſtaret ad tollendam clericorum incontinentiam conjugium illis concedere. Fac, in ea etiam perſuaſione fuiſſe Udalricum Auguſtanum epiſcopum. Quid inde? Plane in contrariam ſententiam Romani Pontifices omnes: ſynodi per ſucceſſiones ſæculorum celebratæ deſcenderunt. Hos laudatores habet, aſſertoresque Latinorum clericorum cœlibatus.*

Faciamus ſummam omnium, quæ hactenus dicta ſunt. *Epiſtola* controverſa non convenit *Udalrico I.* ut Adverſarii volunt. 1o. Gratis in *Udalricum* trans-

transformatur *Adelgerus, Olgerus, Udalgerus*; quem nullibi *Udalricum* vocatum invenimus. 2°. *Adelgerus* ipſe, ſive transformatus *Udalricus* valde dubius eſt, nec in antiquis Epiſcoporum Auguſtanorum Catalogis repperitur. 3°. *Adelgerus* nullibi *ſanctus* dicitur; quod verbum tamen *Epiſtolæ* inſcriptio ut plurimum habet. 4°. Nulla ſæculo IX. agitata eſt quæſtio de cælibatu Cleri; ex qua Epiſcopus Auguſtanus anſam potuiſſet arripere, eundem impugnandi. *Epiſtola* controverſa non convenit *S. Udalrico*, Epiſcopo *noſtro*, de quo hic agitur; cum temporum ratio non reſpondeat: ut nil dicam eam a *Velſero, Mabillonio, Bollandiſtis, Manſio* plane explodi. Quid reſtat, niſi ut partum ſuppoſititium dicamus?

Dices: quis demum parens hujus *Epiſtolæ*? Nil certi de hoc habetur, Lector! Conjecturas tamen nonnullorum apponam. *Vinc.* PLACIUS (*d*) eam *Ulrico* HUTTENO adjudicat; ſed perperam; unde illi jure contradixit BURCKARDUS in *Vita* HUTTENI; nam extat *Epiſtola* iſta in Codicibus antiquis multo ante, quam HUTTENUS naſceretur, tempore exaratis. Forſitan tamen HUTTENUS primus fuit, cujus ductu protracta in lucem typis prodiit. HUTTENO abſoluto audiamus Edmundum MARTENIUM (*e*) dicentem: *Hæc Epiſtola ex eodem fonte prodiiſſe potuit, ac illa, quam in eundem finem ſcriptam edidimus Theſauri nov. Anecdot. T. I. p.* 230. *cujus auctorem credidimus Guenricum Trevirenſem Scholaſticum, virum impudentiſſimum &c.* Succedat & finiat *Jo. Georg.* ECCARDUS (*f*) ſcribens: *Obiter indicamus, cap. X. extare Epiſtolam Udalrici Auguſtenſis epiſcopi ad Nicolaum Papam de continentia clericorum... In veteri Epiſtolarum eccleſiaſticarum Collectione MSSta, quæ in regia Biblio-*

(*d*) In *Theatro Pſeudonymorum*, *p.* 602.

(*e*) In *ampliſſima Collectione veterum Scriptorum*, *T. I. p.* 449.

(*f*) In *Præfatione* ad *Corpus hiſtoricum medii Aevi.*

Bibliotheca Hannoveræ reperitur, ejus initium hoc eſt: Nicolao Domino & Patri pervigili, S. R. E. Proviſori G. ſolo nomine epiſcopus &c. *Nicolaus II. Papa anno* 1058. *electus, & anno* 1061. *mortuus, Concilium anno* 1059. *Romæ celebravit, in quo Clericorum connubia prohibuit. Et hac occaſione Epiſtola, de qua agimus, conſcripta eſt. Sed diu ante, anno nempe* 973. *jam obierat Udalricus Epiſcopus Auguſtanus, ejusque ætate nulla de conjugiis Clericorum quæſtio mota eſt: Epiſcopum vero in Germania nullum, Udalrici nomine, ſub Nicolao II. invenias, multo minus Auguſtanum. Suſpicor hinc hominem veteris litteras ducendi rationis ignarum cum* G. *inveniſſet, id* V. *eſſe putaſſe &* Udalricum *interpretatum. Cum vero Udalrico Auguſtano Epiſcopo nullus hujus nominis celebrior eſſet, eidem Epiſtolam hanc oſcitanter adſcripſiſſe, & aſſeclas hinc ea in re plures accepiſſe. Codex vero Hannoveranus clare admodum* G. *habet: & fuere Nicolai II. Papæ tempore duo Epiſcopi ſatis clari, quorum nomina ab ea littera incipiunt,* Gundacarus *nempe Epiſcopus Eichſtettenſis, &* Guntherus *Cancellarius regius & Epiſcopus Bambergenſis. Hic Henrico IV. imperatori additus erat, & Bambergenſes Scriptores eum virum in omni ſcientiarum genere verſatum, raræ eloquentiæ laude celebratum, ac litteris tam divinis quam humanis eruditum appellant; id quod in Auctorem Epiſtolæ ad Nicolaum Papam quadrat. Unde etiam huic eidem illam adſcribendam eſſe non immerito cenſemus.*

Præter citatos a me Auctores, de hac controverſia videri poterunt *Caſimirus* OUDINUS *de Scriptor. eccleſiaſt. T. II. p.* 247. *Jac. Wilhelm.* FEUERLEIN *Obſervat. litterar. & crit. über Hulderici.. Epiſtolam* &c. quæ extant in Libro: *Fränckiſche Acta erud. & curioſ. IV. Sammlung, p.* 270. *ſeqq.*

2235454 A
815348